DEFENSIO

TRIDENTINORUM CANONUM
DE ECCLESIAE POTESTATE
IN DIRIMENTIA MATRIMONIUM IMPEDIMENTA
ADVERSUS
LAUNOIUM, TAMBURINIUM, NESTIUM
ALIOSQUE RECENTIORES
AUCTORE

PERTO DEODATO NICOPOLITANO.

ACCEDIT ANONYMI DISSERTATIO
QUA CONTRA QUOSDAM THEOLOGOS
PROPUGNATUR
PONTIFICIA AUCTORITAS
IN EADEM IMPEDIMENTA

HIERAPOLI. MDCCLXXXVI.
Praesidum permissu.

PROSTAT

Venetiis		Franciscum Zatta.
Romae	Apud	Nicolaum de Romanis.
Ravennae		Franciscum Collina.

CHRISTO . DEO

ECCLESIAE . CATHOLICAE . ROM.

INSTITVTORI

ET . PATRONO . PRAESENTISSIMO

PETRVS . DEODATVS

D . N . M . Q . E

D. D. D.

Filum Traditionis insequuta Synodus Tridentina recte anathema dixit in eum, qui dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta dirimentia, vel in iis constituendis errasse.

ESPENIUS. *Ius Eccl.*
P. II: Tit. XIII. Cap. I. §. XX.

Adeo vero causae matrimoniales ad consistoria nostra spectant, ut doctrina Iuris Pontificii universa de hac materia fere recepta sit .... ut ne quidem magistratus saecularis per modum praeventionis de iis cognoscere queat ... proinde quaestio principalis tamdiu suspendenda, donec de causa natalium in foro Ecclesiastico fuerit cognitum.

BOHEMERUS. *Ius Eccl. Protestant.*
T. II, Tit. II. §. 25. 26. 27.

INDEX

PROLEGOMENON

In quo exponitur LAUNOII , TAMBURINII , et NESTII Systema , eius prima origo et incrementum , eiusdemque a nobis suscepta confutandi ratio .

audacissime scripsit. Nobis propositae sunt modestiae leges.

VII. Nil omittemus in eorum confutatione, quae validissima erit, Lutherano errore ad examen diligentissime revocato.

VIII. Methodo ac stylo utemur, quoad poterit, nitidiore.

IX. Sunt qui putent inanem esse his temporibus errorum confutationem;

X. At nos innixi veterum Patrum exemplis contra censemus.

C A P U T I.

Tridentini Canones demonstrant inesse in Ecclesiastica Hierarchia propriam auctoritatem constituendi dirimentia matrimonium impedimenta.

I. Proponuntur quae disserenda sunt.

II. Recitantur Tridentini canones.

III. Ecclesiae nomen in iis adhibitum est ad Ecclesiasticam Hierarchiam significandam.

IV. Summo Ecclesiae Primati generatim reservata ab antiquissimis temporibus est potestas in dirimentia matrimonium impedimenta.

V. Supradicti Tridentini canones de Ecclesiae potestate in dirimentia connubiorum impedimenta inter dogmaticos recensendi sunt.

VI. In iisdem canonibus sermo est de potestate intima et propria Ecclesiastico Ordini; quod primo ostenditur ex Conciliorum natura;

VII. Tum vero etiam ex mente ipsius Tridentinae Sy-

Synodi.

VIII. Secus duo nascerentur absurda. Primum demonstratur;

IX. Tum vero alterum;

X. Quod hoc capite propositum est, tum exemplo firmatur;

XI. Tum etiam ex eodem Tridentino Concilio clandestina coniugia irritante ostenditur.

CAPUT II.

Affertur responsio argumentis, quibus probare nituntur, Ecclesiae nomen adhibitum in Tridentinis Canonibus non esse ad significandum Ecclesiasticum Ordinem, sed ad indicandos saeculi Principes, qui sunt Catholicae Ecclesiae partes.

I. Proponitur argumentum LAUNOII;

II. Et aliud TAMBURINII, qui Ecclesiae nomen in Tridentinis canonibus adhibitum ad saeculares Principes revocandum esse contendunt.

III. Sed ii canones intelligendi esse de propria Ecclesiae auctoritate ostenduntur.

IV. Neque ullus fuit in Concilio Tridentino conflictus, quoad naturam potestatis, qua Ecclesia utebatur in iisdem canonibus condendis,

V. Idque demonstratur etiam ex Concilii mente, quae erat confutandi LUTHERUM, qui propriam denegabat Ecclesiae in hac re potestatem,

VI. Quique nunquam subspicatus est, hanc auctoritatem ex consensu Principum fuisse Ecclesiae con-

concessam.

VII. Quod adhuc ostenditur ex LUTHERI libro *de Captivitate Babylonica*:

VIII. Atque ex aliis eiusdem locis, in quibus LUTHERUS se ipsum interpretatur;

IX. Tum denique ex definitione Theologicae Facultatis Parisiensis.

X. Ex quibus omnibus evidens est, falsam omnino esse Tridentinorum canonum interpretationem ab illis scriptoribus excogitatam.

XI. Qui quidem Tridentini canones demonstrant, dirimentia matrimonium impedimenta non ita spectare ad ordinem civilem, ut ad Ecclesiasticam Hierarchiam minime pertineant.

CAPUT III.

Affertur responsio argumentis, quibus probare nituntur Tridentinos Canones de Ecclesiae potestate in dirimentia matrimonium impedimenta, dogmaticis non esse adnumerandos.

I. Opponunt, canones Tridentinos de impedimentis matrimonium dirimentibus non continere materiam dogmatis.

II. At canones illi percipiunt quid credendum a Catholicis est; adeoque dogmatici sunt.

III. Permissum dumtaxat iisdem Catholicis est inspicere, an canones aliquid statuant credendum; non vero an materia canonum sit fidei materia:

IV. Negat NESTIUS huius generis materiam supra-

pradictis canonibus Tridentinis ; sed nullam prorsus affert sui erroris rationem . ESPENIUS ipse NESTIO in hac re vehementer repugnat.

V. LAUNOIUS affirmat, a Tridentinis Patribus nullo fundamento innixis conditos esse canones, de quibus disserimus.

VI. Sic docuere Novatores , qui hac ratione omnes Catholicae Ecclesiae definitiones contemnunt.

VII. At TAMBURINIUS et NESTIUS aiunt , illud *Ecclesiam posse* ac *potuisse* etc. non esse Tridentinis canonibus *principale*, sed *accessorium* ; adeoque non esse dogmaticum . Exemplum afferunt NICOLAI I. ad Bulgaros respondentis.

VIII. Verum ex contextu Concilii Tridentini ostenditur. dogmaticas esse omnes illorum canonum partes.

IX. Idque evidenter etiam demonstratur ex LUTHERI textu, quem recitarunt NESTIUS et TAMBURINIUS,

X. Atque ex aliis eiusdem LUTHERI verbis.

XI. Iamvero Tridentina Synodus damnare debet errorem in iis contentum, non vero alium, qui quidem ex iis sequebatur , sed quem noverat ab ipso LUTHERO revocatum.

XII. Responsio NICOLAI I. ad Bulgaros non habet eam vim comparationis, quae obiici in hac re nobis possit.

XIII. Anonymus auctor opponit leges de impedimentis matrimonii Sacramento essentiales non esse; adeoque ad disciplinam eas pertinere.

XIV. Sed ostenditur huiusce disciplinae dogmaticum esse principium ac fundamentum.

XV. Refellitur LITTA dubitans, utrum canones illi ius, an vero factum definiant;

C A-

CAPUT IV.

Affertur responsio argumentis, quibus probare nituntur, definitum a Tridentino Concilio fuisse, Ecclesiam posse dumtaxat ex Principum consensu constituere impedimenta matrimonium dirimentia.

I. TAMBURINIUS ac NESTIUS id probare conati sunt tum ex ESPENIO, tum ex eo quod interpretatio haec Tridentino Concilio minime repugnet.

II. Eamdem exemplis illustrare se posse putat TAMBURINIUS.

III. Paucis proponitur idem argumentum.

IV. Ex recta primum ratione ostenditur, Tridentinos Patres definiisse propriam in hac re Ecclesiae auctoritatem.

V. Tum vero id etiam demonstratur ex Concilii eiusdem scopo damnandi Lutheranos errores.

VI. Dolendum autem magnopere, quod NESTIUS ipse LUTHERO, ac Lutheranis acrior in Ecclesiam se praebeat,

VII. ESPENIUS tantum abest ut NESTIO ac TAMBURINIO faveat, quin etiam nostram tuetur sententiam.

VIII. Demum ex Tridentini Concilii definitione habetur responsio, quae infirma demonstrat TAMBURINII exempla.

CA-

CAPUT V.

Ostenditur ratione duce, Ecclesiam leges ferentem de dirimentibus matrimonium impedimentis nec usurpasse sibi Principum auctoritatem, nec usam esse tacito vel expresso eorumdem consensu.

I. LAUNOIUS hanc Ecclesiae potestatem audacissimus dixit usurpationem; atque ita iniuriam simul creat summis Principibus.

II. Impossibilis ostenditur illa usurpatio.

III. Neque expressus neque tacitus, quem opponunt, **Principum consensus**, ullo innititur fundamento.

IV. Qui tacitum in hac re comminiscuntur Principum consensum, maximam universali Ecclesiae iniuriam inferunt.

V. Ex Concilii Tridentini historia reiicitur huiusmodi opinio tacitae Principum consensionis.

VI. Reges plures declararunt se agnoscere propriam de hac ipsa re Ecclesiae auctoritatem, quin de tacito huiusmodi consensu ipsi subspicarentur.

VII. CHRISTI et Ecclesiae doctrina componi nequit cum tacita illa Principum consensione.

VIII. Sine universalis Ecclesiae iniuria fingi non potest, eam fuisse usam tacito eodem consensu sub Christianis Principibus;

IX. Vel sub Imperatoribus Ethnicis.

X. CHRISTUS vero et Apostolus PAULLUS in matrimonii impedimenta auctoritatem exercuere.

X.

X. Quod adversus NESTIUM ac TAMBURINIUM evidenter demonstratur.

CAPUT VI.

Ex Lutherana haeresi a Concilio Tridentino damnata ostenditur, Ecclesiam in definienda potestate in dirimentia connubiorum impedimenta non usurpasse Principum auctoritatem, nec usam esse tacito vel expresso eorumdem consensu.

I. Proponitur id, de quo disserendum est.

II. LUTHERI haeresis erat, cuicumque privato ius esse dispensandi abs Ecclesiasticis matrimonii impedimentis; non autem LUTHERI mens erat confugiendum esse in hunc finem ad civilem auctoritatem; ac propterea propriam in ipsa Ecclesia agnovit in hoc genere potestatem.

III. Videtur quidem in speciem LUTHERUS negasse etiam quamcumque in his civilem potestatem;

IV. Sed revera eius mens fuit, negare dumtaxat Ecclesiae auctoritatem; ac proinde hanc contra ipsum definiit Tridentina Synodus.

V. IO. PEHEMIUS contendit LUTHERI mentem fuisse, denegandi Matrimonio naturam sacramenti, et delegatam Ecclesiae in legibus huiusmodi statuendis auctoritatem.

VI. Verum et ratione duce,

VII. Et ex ipsis LUTHERI, eiusque sectatorum scriptis confutatur PEHEMII opinio.

VIII. Secus maiorem pietatem atque prudentiam agno-sce-

acese oporteret in LUTHERO, quam in NESTIO.

IX. Ille Ecclesiasticam divinae tantum opponit auctoritati.

CAPUT VII.

Ostenditur, Tridentinos Patres Ecclesiae potestatem in dirimentia matrimonium impedimenta non definiisse ex apocryphis ISIDORI epistolis decretalibus.

I. Contemnendum prorsus esset, quod opponunt obtrectatores nostri:

II. Audiendi tamen sunt;

III. Quamvis in primis haud satis sibi constent.

IV. Evolvitur eorum argumentum.

V. Antiquitus, ac temporibus Tridentini Concilii explorata erat quaestio de ISIDORI decretalibus.

VI. Quare nemo ex Catholicis arbitrabitur, Patres Concilii quidquam definiisse innixos spuriis illis decretalibus.

VII. PAPEBROCHIUS vero dum ait, eas illusisse Conciliis etiam oecumenicis, id intelligit de errore nominum, non fidei et morum.

VIII. Nil nimirum continent epistolae illea dogmatibus ac disciplinae repugnans, ut plurimi agnovere scriptores, inter quos etiam heterodoxi.

IX. BLASCUS autem demonstrat, easdem epistolas comparatas esse potius ad augendam Episcoporum, quam ipsius R. Pontificis auctoritatem.

X.

X. Tridentini Patres ex Divinitatis instinctu definientes dogmata non potuere uti falsis principiis.

XI. In iisdem epistolis nulla mentio est de generica Ecclesiae potestate in dirimentia connubiorum impedimenta.

XII. Si vero Tridentini Patres non approbaverint, quae in eisdem decretalibus statuuntur matrimonii impedimenta, vel si quae in ipsis definita sunt, rectae consentiant rationi, omnis evanescet difficultas.

XIII. Hoc postremum ostenditur in primis de decretalibus FABIANI;

XIV. Tum vero de illis CALLISTI.

XV. Alterum vero ex EVARISTI litteris impedimentum statuentibus, quod approbare noluerunt Tridentini Patres, licet a Regum Oratoribus vehementer rogati,

CAPUT VIII.

Ostenditur minime definita a Tridentino Concilio eadem Ecclesiae auctoritas ex opinione de indirecta ipsius Ecclesiae potestate in Regum temporalia.

I. Ignota Tridentinis Patribus non erat quaestio de indirecta illa potestate; adeoque ex ea' opinione nunquam dogmata definierunt, quum SPIRITU S. afflante eadem definirent.

II. Quod ex ratione contra NESTIUM ostenditur.

III. Illud probare contendit NESTIUS recitatis, quae putat PALLAVICINII, verbis.

IV.

IV. Prudens ea non obiecit TAMBURINIUS, quod viri doctissimi ex alio fonte demonstrent Ecclesiae potestatem, de qua disserimus.

V. Episcopi in oecumenicis Synodis quaecumque praemiserint definitionibus consilia, semper ex peculiari SPIRITUS S. afflatu dogmata decernunt.

VI. Quae NESTIUS tamquam ex historia Concilii Tridentini a PALLAVICINIO conscripta bis protulit, ea ex LAUNOIO petita videntur;

VII. Quinimo et LAUNOII animadversiones pro historia PALLAVICINII nobis obiecit NESTIUS.

VIII. DROUVENIUS etiam eadem LAUNOII verba, tamquam PALLAVICINII historiam recitavit. Ex quo fonte hauserit LAUNOIUS, ignotum est.

IX. Quae vero in sua historia habet PALLAVICINIUS quoad rem de qua disseritur, repugnant omnino iis, quae veluti ex PALLAVICINIO prolata dixit NESTIUS.

CAPUT IX.

Demonstratur atque defenditur Angelici Doctoris sententia de Ecclesiastica potestate in dirimentia connubiorum impedimenta; ex qua sententia intelligitur mens quorumdam, qui nobis opponuntur tamquam Concilii Tridentini interpretes.

I. Huiusce defensionis caussae recensentur.

II. Angelici Doctoris afferuntur testimonia a LAUNOIO, TAMBURINIO, ac NESTIO recitata.

III. Quibus primo opponitur responsio ex IACOBI CLE-

CAPUT X.

Sententia Theologorum, qui nobis obiiciuntur tamquam Concilii Tridentini Interpretes aut non officit Ecclesiae potestati, de qua disserimus, aut eidem favet omnino.

VI.

PRO.

PROLEGOMENON

In quo exponitur LAUNOII, TAMBURINII, et NESTII Systema, eius prima origo et incrementum, eiusdemque a nobis suscepta confutandi ratio.

I.

EA erroris turpitudo est, ut in apertam lucem prodire ipsum haud raro vehementer pudeat. Hoc potissimum accidisse novimus, quum error ipse natus aliquando et altus, demum interiit. Ex quo sane fit, ut suam regenerationem multo adhuc difficiliorem agnoscat. Quare tunc paullatim e tenebris dimidiatam quasi faciem timidus profert, tum vero nil ferme pertimescens, e latebris tandem totus erumpit, ac suae turpitudinis ita obliviscitur, ut venustatem se induisse misserimus glorietur, omnesque in sui admirationem se facile pertrahere laetissimus existimet. Waldenses itaque omnium primi ea audacter contempsere, quae ex Ecclesiastica auctoritate statuta fuerant impedimenta matrimonium dirimentia. In eodem prorsus errore versati deinde sunt etiam Lutherani et Calvinistae. Tum vero MARC. ANTONIUS DE DOMINIS, Archiepiscopus Spalatensis, atque apostata, F. PAULLUS SARPIUS, nec non LAUNOIUS docuere, nullam esse in Ecclesiastica Hierarchia potestatem, impedimenta illa constituendi. Quam enim Ecclesia exercet potestatem definiendi impedimenta matrimonium dirimentia, atque ab iisdem aliquos dispensandi, hanc LAUNOIUS Ecclesiae usurpationem audacissimus dixit, recentiores vero politiori methodo contendunt, eamdem ab expresso vel tacito saltem Principum con-

consensu in ipsam Ecclesiam dimanasse. Nec alia sane ratione tantum opus componere simul potuere viri illi ingenio praestantes, quam excogitando in re maximi momenti tacitum, quem frustra omnino inquisiere expressum illum civilis potestatis consensum. Vereri nobis non licet, quin Catholico animo distinctionem illam *expressi* vel *taciti consensus* in hanc tractationem invexerint; displicet tamen magnopere, eamdem in rebus huiusmodi usurpatam primo fuisse a recentioribus Lutheranis, aliisque scriptoribus Apostolicae Sedis hostibus acerrimis.

II.

Saeculi circiter unius spatio siluit falsa haec opinio, ac veluti intermortua prorsus iacuit. Quum vero ipsa vix in lucem edita, ut paullo infra dicam, male apud Catholicos audierit, propterea paullatim tantummodo ab iisdem in apricum excitata iterum est nostris hisce temporibus, quibus ad perturbandam Ecclesiae tranquillitatem efferbuit effroenata quaedam scriptorum libido. Anno MDCCLXXXII. et sequenti ALOYSIUS LITTA Mediolanensis librum edidit, *del diritto di stabilire impedimenti dirimenti il matrimonio*, in quo optimis, ut ipsi videbatur de caussis statuit, necessariam in hunc finem esse utramque, civilem et Ecclesiasticam auctoritatem; quamvis in eodem opere non desint incaute posita quaedam argumenta, quae omnem auferant hac de re Ecclesiae potestatem. Quamobrem vires illico sibi sumpsit hic error. Anno MDCCLXXXIII. libellus Ticini editus est *dell' umana legislazione sulle nozze de' cittadini Cattolici*; quo in libro omnis denegatur Ecclesiae auctoritas in dirimentia matrimonium impedimenta. De hoc tamen opusculo vix aliquam habet mentionem, qui eodem anno breviter de hoc argumento scripsit PETRUS TAMBURINIUS Brixianus,

nus, in Academia Ticinensi Ethices Professor, *Prae-lect. de Iustitia Christiana, et de Sacrament.* vol. II. Ipse de matrimonio pertractaturus Cap. II. rem ait se aggredi Theologorum et Canonistarum dissensionibus implicatissimam, quod tamen alii negant; in eo pollicetur se magis historicum, quam disputatorem; expositis vero diversis auctorum sententiis, quid in hac, inquit, controversia sentiendum sit, Capite v. declarat; nimirum per summa capita Launoianum systema ingenue proponit, additis identidem Launoianae tabulae, vividis quibusdam coloribus, qui in opinionem illam inducunt fucatam aliquam veritatis speciem; atque ita, ut ante fuerat pollicitus, ex Historico Theologum ac Iurisperitum paucis se exhibuit. LAUNOIUS etiam saepe dixerat se nolle ratiocinari, sed tantummodo historicum agere; quum tamen nullus forte scriptor tantas excogitaverit, quantas ille in suo opere cavillationes, ac falsas ratiocinationes contulerit.

III.

Sed error ille ornatiorem tandem se praebuit anno elapso in libro singulari THOMAE NESTII Pistoriensis *de dirimentibus matrimonium impedimentis*. Hunc fatetur se F. PAULLO SARPIO duce et auspice optimo elaborasse; ac proinde honoris gratique animi caussa aeternis SARPII eiusdem manibus dicatum consecratumque voluit; ut nimirum omnes statim intelligerent, quid sibi in eo opere esset propositum. SARPIUS vero in sua Tridentini Concilii historia ea de matrimonio dixit, quae paucis versibus contineri facile possent. Unde ergo tam multa habuit NESTIUS, quae de potestate in dirimentia connubiorum impedimenta in suo singulari libro erudite, ac perpolite congessit? Definire non audeo; dicam tamen, fere omnia me perlegisse in Launoia-

no opere de *Regia in matrimonium potestate*. Video etiam eius scribendi rationem cum Launoiana plurimum convenire; de qua LEULLIERIUS, *observatione* VIII. in LAUNOIUM ait: quod ille *vel pridem solutas haereticorum obiectiones plurima verbositate describat, vel ingentem verborum idem penitus significantium multitudinem, prolixasque periodos eorumdem aut similium vocabulorum frequenti repetitione turgentes obtrudat*. Praeterea NESTIUS HENNEQUINI Theologi Parisiensis verba recitavit, quae sunt apud LAUNOIUM, quaeque in privatis, nunquam vero editis lectionibus ab eodem dicta affirmat LEULLIERIUS *Observat* I. in LAUNOIUM §. XI. Ex his omnibus profecto subspicari quidem LAUNOIUM possumus occultum NESTII magistrum; quoniam vero geometricis demonstrationibus assueti sumus, id certo non possumus affirmare. Forte ex iisdem hortis uterque fructus collegit uberrimos.

IV.

At LAUNOIUS, si LEULLIERIO illum confutanti habenda sit fides, argumenta sua ex MARCO ANTONIO DE DOMINIS Archiepiscopo Spalatensi, ac demum apostata desumpsit: hic vero antecessores habuit LUTHERUM, CALVINUM, KEMNITIUM, aliosque huius furfuris homines, Ecclesiasticae potestatis inimicos infensissimos. Sed altius quoque repetendam esse huius erroneae opinionis originem declaravit iam sacra Facultas Theologica Parisiensis, quae inter cetera Lutheranae doctrinae capita sententiam duabus propositionibus contentam, quibus denegabatur Ecclesiae potestas statuendi dirimentia matrimonium impedimenta, nulla interposita mora damnavit, tamquam *impiam, potestati Ecclesiae impie derogativam, ex damnato Waldensium* er-

errore procedentem. En generosum ortum, quem ex Theologicae Facultatis Parisiensis testimonio habuit ea opinio, quam unice veritati conformem, imo certissimam evidentissimamque propugnant LAUNOIUS, TAMBURINIUS, NESTIUS, aliique recentiores.

V.

LAUNOIUM ut virum doctissimum ac pientissimum nobis exhibent veteres eiusdem patroni. Non repugnabo, si velint; aliquid tamen humani passus est, ut nemo in controversiam vocare poterit. Librum de *Regia in matrimonium potestate* composuit, quum in Galliis ferveret quaestio de validitate matrimonii initi a Gastone duce Aurelianensi; in eoque libro, ut denegaret Ecclesiae potestatem statuendi impedimenta matrimonium dirimentia, argumentis certe usus est, quae subtilioris callidiorisque ingenii forenses viri forte nunquam excogitassent. Definitum tamen a Galliarum Episcopis aliisque complurimis Ecclesiasticis viris fuit, Regni consuetudines posse irritare matrimonia, si consuetudines ipsae rationabiles fuerint, et legitime praescriptae, atque ab Ecclesia auctoritatem obtinuerint. Qua mente intermortuam LAUNOII opinionem excitaverint ac propugnaverint TAMBURINIUS et NESTIUS, non est cur frustra investigemus, quum nobis tantummodo propositum sit eorum argumenta refellere, quae refellenda iure arbitramur ad tuendos Tridentinos canones de propria Ecclesiae auctoritate in dirimentia matrimonium impedimenta.

VI.

TAMBURINIUS quidem, quem ego novi gravem virum, si generatim loquamur, eo scripsit stylo, qui Theologos disputantes minime dedecet. NE-

STIUS vero, quem non novi, et audio esse iuvenem, acriter adeo in Romanae, ut ipse ait, curiae defensores directe, indirecte vero in ipsum supremum Ecclesiae Pastorem invehitur, ut honestatis et religionis leges, parcat quaeso, iuvenili aestu, ne dicam impotenti audacia contempserit. Ast ego memini gravissimae sententiae, quam auctores annalium Ecclesiastic. Florent. anno MDCCLXXXIII. n. XXXI. col. II. multo ante quam NESTIUM laudarent, sapientissime protulerunt; nempe plurimum reprehendunt, *il zelo amaro, le eterne declamazioni, le invettive, che non di rado sono contrassegno, che più la passione guida la penna, che l'amore della verità, e lo zelo per l'ordine*. Norunt autem cordati viri, ex prolatis iniuriis nasci characterem eorum, qui has pronuntiaverint, non autem illorum, in quos easdem inurbane coniecerint. Quod vero dixerit NESTIUS, se iam persentiscere *gravissimas* Romanorum in se ipsum *inimicitias, turbulentissimasque se subiturum tempestates, mordaces invidiae dentes, et acerrimos obtrectatorum impetus*, aliaque huiusmodi plura, si hisce formulis postulat et rogat primo, ut ipsi donetur iniuriarum venia, deinde ut mitem habeat suae opinionis adversarium; utrumque, ut videre mihi videor, NESTIUS iam obtinet: nondum enim novimus ullas Romanorum in NESTIUM tempestates; alterum vero nos eidem lubentissime pollicemur. Veritatis, quam nos unice inquirimus, ac diligenter tuemur, indoles et natura est, ut pacatos, atque tranquillos habeat animos; sicuti contra saepenumero erroris perversitas est, ut mentem animumque maxime perturbet; atque ex ea perturbatione urbanitatis honestatisque leges sanctissimae a scriptoribus etiam Theologiae magistris quam facile violentur. Non ignoro AUGUSTINUM Ecclesiae do-

doctorem maximum, aliosque Catholicos Episcopos sanctissimos, haud raro tum errores, tum errantes acriter reprehendisse; ast ego, qui Apostolica missione me donatum minime agnosco, errorem theologice confutare possum, errantes acriter reprehendere me posse non video: illud charitatis est, hoc vero auctoritatis. Quamobrem, si quid forte a me in orationis serie dictum fuerit, quod humanitatis iura non servet, revocatum prorsus a me ipso nunc habetur. Quod etiam dictum volo de quibusdam atticis leporibus, quos, ut innocuos putavi, raro tamen ad quamdam lectorum oblectationem scriptis inserui.

VII.

Velim etiam, ut quisquis accurate animadvertat, quae a me dicta in hoc libello sunt, quaeque in eodem praetermissa; quae ex mea, quae vero ex aliorum sententia. Diu multumque perpendi, quae in hac causa a Theologo viro veritatis amatore amplectenda esset sententia, nec calamo manus admovi, nisi clare conspecta ipsius veritatis luce. Audivi quidem spernenda prorsus esse argumenta, quibus LAUNOIUS TAMBURINIUS et NESTIUS aliique interpretantur Tridentinos canones; verum quoniam eadem non est apud omnes eorumdem argumentorum energia, quam alii ex adversariorum praestantia, alii ex aliis caussis metiri solent; propterea ad tuendos declarandosque Tridentinos canones omnia examini subiicienda esse existimavi: et ne quid superesse posset, quod ad susceptae causae defensionem pertineret, addidi etiam argumenta vel ab aliis vel a me ipso excogitata. Quandoquidem vero ipsius causae caput est Lutheranorum error, qui adversariis nostris fatentibus, a Tridentina Synodo in iis canonibus damnatus est; propterea tum ex ipsius LU-

THERI sententiis, tum ex aliis fontibus in eo detegendo ac demonstrando errore versati sumus diligentissime. An id praestiterint NESTIUS ac TAMBURINIUS, obscurum mihi est; video enim eos non nisi paucissima LUTHERI verba attulisse. quae apud LAUNOIUM aliosque leguntur. Arbitror autem, eos qui veritatis inquirendae studio maxime incenduntur, si diligenter errorem illum perpendant, si diligenter etiam considerent verba, quibus Tridentini illi canones continentur, haud aegre in eam sententiam descensuros, ut fateantur, definitum a Tridentino Concilio dogma de propria Ecclesiae sive Ecclesiastici Ordinis potestate in dirimentia coniugiorum impedimenta; quod demonstrare nunc aggredimur. Optimam prae manibus causam habemus; homines tamen sumus: adeoque nil humanum est, quod a nobis alienum putemus. An optimae caussae rectam tulerimus defensionem, iudicent aequi rerum aestimatores.

VIII.

In canonum Tridentinorum defensione usi sumus ea methodo, quam ipsa rei natura, de qua pertractamus, postulare a nobis videbatur. Rectissimam hanc methodum deprehendimus apud TAMBURINIUM, quem propterea, quoad nobis licuit, accurate sequuti sumus. NESTII stylum, et si turgentiorem, satis tamen elegantem agnovimus; Tamburinianum ut gravem et didascalicum improbare non possumus. Quare et nos illud saltem magnopere curavimus, ne barbaro uteremur stylo, barbarisve loquutionibus, quas ne crassiores quidem aures pati unquam possunt; si enim vel optimam causam imperita methodo, incultoque stylo quis defenderit, eam non eruditis viris, sed blattis tineisque servandam proponit.

IX.

IX.

Non desunt, qui putent inanem his temporibus susceptum esse a scriptoribus laborem confutandi auctores Apostolicae Romanae Sedi inimicos. His enim, inquiunt, satis est supremam Sedem illam, quam per contemptum Rom. Curiam appellant, iniuriis ac maledictis cumulasse, nil plane solliciti de ea quam propugnaverint sententiam; quamcumque enim opinionem illi tuentur, dummodo ex eius defensione constet iis, quibus ipsi volunt, se esse Rom. Curiae adversarios et obtrectatores; nam rectae cuiuslibet sententiae potiora argumenta, quae destrui nequeunt, tamquam fabulas et commenta irrident, suam vero ridiculis prorsus rationibus, interruptis auctorum testimoniis probare student, eademque semper methodo vindicare ac defendere conantur; qua quidem demonstrant, se non ad opinionem aliquam, sed ad partium studia delatos esse quam maxime, aut ita in sententiam aliquam iurasse, ut ab ea ne per vim quidem abstrahi velint.

X.

An haec vera sint, iudicent eruditi; neque enim soleo recentiorum de hisce controversiis libros pervolvere. Dicam tamen primo, me in ea esse, quam debeo de catholicis viris ratione utentibus opinionem. Quare censeo errare plurimos, quod ex humani ingenii imbecillitate veritatem sectari sibi suadeant, dum errores propugnant; paucissimos vero ex iis esse, qui sibi perspectam erroneam sententiam scientes volentesque liberrime propugnent. Hominis est errare; sed viri est errorem fateri; cuius quidem exempla complura edidere viri doctissimi veritatis sectatores. Quamobrem verosimile arbitror, eos quos confutare aggredior, TAMBURINIUM, NESTIUM, aliosque recentiores veritati evidenter de-

demonstratae assensuros; praesertim quum praecipua quaestionis ratio sita in eo sit, ut accuratius Lutheranam haeresim contemplentur, quam in paucis LUTHERI verbis ex quocumque demum scriptore desumptis eam habere comprehensam minime potuerint. Deinde vero in mea hac Tridentinorum canonum defensione exempla sum sequutus vetustiorum Ecclesiae nostrae Patrum atque scriptorum, qui quamvis proximi essent felicissimis iis temporibus, quibus erat Christiana Religio tum CHRISTI Domini, tum Apostolorum doctrinis illustrata, tum infinitis pene ac praeclarissimis miraculis confirmata, attamen sollicite ac strenue exortos contra eamdem Religionem errores semper confutarunt; quorum studia etsi raro utilia fuerint iis, qui errores impudentissime evulgaverant; utilissima tamen fuere ceteris aliis, qui ex Patrum scriptis atque sermonibus in Religionis amore firmabantur, armaque sumebant, quibus se ab haereticorum impetu apte defenderent. Et nos itaque vehementer speramus fore, ut qui ab amplexanda, tuendaque veritate non sunt alieni, ex nostris quibuscumque laboribus similem aliquem sint fructum percepturi.

DE-

DEFENSIO
CANONUM CONCILII TRIDENTINI DE ECCLESIASTICA POTESTATE IN DIRIMENTIA MATRIMONIUM IMPEDIMENTA.

CAPUT I.

Tridentini Canones demonstrant inesse in Ecclesiastica Hierarthia propriam auctoritatem constituendi dirimentia matrimonium impedimenta.

I.

TAnta humanae mentis vel superbia vel imbecillitas est, ut praeconcepta opinione aliqua praeclasissimam quandoque veritatis lucem minime adspiciat, sed in ipsa potius re, quae veritatem habet sibi coniunctam, non nisi densissimas tenebras miserrime contempletur. LAUNOIUS in primis, ut studio quod sibi sumpserat, faceret satis, eas proposuit Tridentinorum canonum interpretationes, quae primo adspectu videri aliquibus possent veritati conformes. Quare mirum fortasse non est, easdem pariter NESTIO, TAMBURI-

RINIO, alisque recentioribus probatas fuisse. At perspicua adeo sunt Tridentini Concilii testimonia de primigenia Ecclesiastici Ordinis potestate in dirimentia matrimonium impedimenta, ut ad hanc demonstrandam satis profecto foret eadem recitare. Verumtamen hisce recitatis aliquas addemus ad firmiorem demonstrationem observationes; ac postmodum, ut rerum ordo flagitat, interpretationes a praestantibus ingenio viris propositas dissolvemus; ipsosque Tridentinos canones in apertissimam lucem diligenter revocabimus.

II.

Itaque sessione XXIIII. occurrit canon III. qui his continetur verbis: SI QUIS DIXERIT, EOS TANTUM CONSAGUINITATIS ET AFFINITATIS GRADUS, QUI IN LEVITICO EXPRIMUNTUR, POSSE IMPEDIRE MATRIMONIUM CONTRAHENDUM, ET DIRIMERE CONTRACTUM, NEC POSSE ECCLESIAM IN NON NULLIS ILLORUM DISPENSARE, AUT CONSTITUERE, UT PLURES IMPEDIANT, ET DIRIMANT, ANATHEMA SIT. Canon vero IIII. huiusmodi est: SI QUIS DIXERIT ECCLESIAM NON POSSE CONSTITUERE IMPEDIMENTA MATRIMONIUM DIRIMENTIA, VEL IN IIS CONSTITUENDIS ERRASSE, ANATHEMA SIT. Quare primo illud constat, a Tridentino Concilio definitum Ecclesiam habuisse, habere, atque in posterum habituram infallibilem auctoritatem constituendi impedimenta matrimonium dirimentia, atque ab iisdem Fideles subditos dispensandi. Nam in altero quidem canone sunt verba ad praeteritum tempus, in altero autem ad praesens spectantia; in utroque vero est etiam formula, SI QUIS DIXERIT, quae futuram aetatem respicit. Sed Ecclesiae nomen in iis Tridentinis

tinis canonibus adhibitum significat Ecclesiasticum Ordinem, Ecclesiasticamque Hierarchiam; praeterea canones iidem dogmatici sunt; ac demum sermo in ipsis est de potestate illa, quae eidem Ecclesiastico Ordini intima, et propria est. Tria haec singillatim demonstranda a nobis sunt; tum vero afferenda erit contradictorum argumentis responsio.

III.

Principio itaque ostendimus, Ecclesiae nomen in recitatis Tridentinis canonibus adhibitum esse ad Ecclesiasticam Hierarchiam significandam. Namque, ut animadvertit LEULLIERIUS, observat. viii. in LAUNOIUM §. ii. nomen Ecclesiae sumptum quasi per antonomasiam significat Ecclesiasticum Ordinem a civili distinctum: vadem, profert, cuius nomen TAMBURINIO ac NESTIO molestum esse nequit, nempe GERSONEM Parisiensem, qui *consideratione* ii. *de Religionis perfectione* haec habet: *Ecclesia significat principaliter universalem congregationem Fidelium . . . . . nomen tamen istud vulgaris usus restrixit ad Clerum*. Praeterea *sermone in Dominic.* viii. *post Pentecost.* scribit: *Quamvis domus ista* (Ecclesia) *sit generaliter omnium in una vera Christi fide coadunatorum; usitatiori tamen nomine illorum quasi antonomastice dicitur, quos duces in ea, custodes et speculatores summus Paterfamilias instituit; unde eos, et non sic passim alios, Ecclesiasticos appellamus*. Quamvis autem Ecclesiae nomen generatim sumptum possit quandoque omnium Fidelium congregationem significare; attamen ubi sermo institutus est de Ecclesia, quae docet, regit, imperat, prohibet, aliumve iurisdictionis actum exercet, tunc profecto intelligi eo nomine non potest vel universa fidelium congregatio, vel pars qualibet eiusdem congregationis; sed om-

omnino intelliguntur Ecclesiae Pastores ac Praelati, Episcopi nempe, summi Pontifices, Concilia seu generalia seu particularia, quorum omnium est, ipsos Ecclesiasticae iurisdictionis actus exercere; sicuti quum loquimur de Regno, aut de Republica leges ferente non intelligimus hisce nominibus civium multitudinem, aut partem eorum quamcumque, sed tantummodo, qui Regnum aut Rempub. moderantur. Iamvero in Tridentinis canonibus dicitur, *Ecclesiam posse, Ecclesiam potuisse*; ergo de potestate seu auctoritate et iurisdictione Ecclesiae in iisdem canonibus sermo est; sed Ecclesiae potestas in eius agnoscenda est Pastoribus atque Praelatis, non in qualibet alia Christiani coetus parte; ergo de illis intelligendi sunt Tridentini Canones. En iterum GERSONEM, qui *consideratione I. de potestate Ecclesiae* ait: *Ecclesia contracte sumitur, dum heic loquimur, de Ecclesiastica potestate, pro illis videlicet, qui speciali quodam signaculo dedicati sunt ad divinum servitium*. Quid plura! Auctoritatem habet haec appellatio ab ipso CHRISTO Domino Ecclesiasticae potestatis auctore, qui apud MATTHAEUM Cap. XVIII. inquit: *si non audierit eos, dic Ecclesiae; si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus*: quae explicans D. IO. CHRYSOSTOMUS ait: *dic Ecclesiae, idest Ecclesiae Praelatis*. In eodem sensu Ecclesiae nomen pluribus aliis in locis adhibitum est a Tridentinis Patribus, ut Sess. XIII. can. XIII. = Sess. XIIII. can. XIII. = Sess. XXI. cap. II. = Sess. XXII. cap. V. et VI. = sess. XXIIII. can. VII. VIII. VIIII. Adde etiam in hoc sensu dumtaxat usurpatum Ecclesiae nomen a LUTHERO denegante Ecclesiae auctoritatem constituendi dirimentia connubiorum impedimenta; ut suo loco infra demonstrabitur. Quapropter, quum in Tridentinis canonibus da-

damnetur LUTHERI error; evidens est quod primo erat a nobis demonstrandum.

IV.

Inquiret fortasse aliquis, utrum huiusmodi potestas ad omnes pertineat Episcopos, an vero tantummodo ad Rom. Pontificem universalis Ecclesiae Praesulem ac Pastorem. Sed huiusce loci non est ea pertractatio. Quamobrem illud nos hoc tempore dumtaxat animadvertemus, ante Tridentini Concilii aetatem ab antiquissimis usque temporibus potestatem hanc summo Ecclesiae Primati reservatam fuisse: de hac re nullam extitisse in Tridentino Concilio quaestionem: post Concilium adhuc in Romanis Pontificibus perseverasse eamdem potestatem. Qui plura in hanc rem desiderant consulere poterunt in primis GERBESIUM, IACOBUM CLEMENTEM aliosque plures, tum vero recentiores, qui adversus LITTAM pauca scripsere.

V.

Nos coeptam demonstrationem prosequamur. Ostendendum enim nunc est, Tridentinos canones de Ecclesiae potestate in dirimentia matrimonium impedimenta inter dogmaticos esse recensendos. Hoc paucis expediemus. Duplicis sunt generis canones Conciliorum, alii enim suppeditant regulam agendi, alii regulam exhibent credendi. Si quid agendum, omittendumve praecipiant, tunc actionum regulam praebent, quae ad disciplinam spectat; si vero proponant aliquid aut credendum aut docendum, tunc continent regulam doctrinae, ac propterea infallibilem fidei definitionem habent, si ea ab oecumenico Concilio suam obtineat originem. Hos vero solemus canones dogmaticos, seu fidei dogmata nuncupare. Sive igitur Ecclesia aliquid absolute proponat Fidelibus credendum, sive damnet canone doctrinam aliquam, canon ille

ille dogmaticus habendus est; nam in hac secunda hypothesi definit tamquam infallibilem doctrinam illam, quae damnato errori est omnino contradictoria. Atqui Tridentini Patres sessionis xxiiI. initio declarant, se damnaturos doctrinas haereticorum ab *Ecclesiae Catholicae sensu* alienas, et *insigniores* definiunt eorumdem *haereses et errores*; ac proinde *ipsos haereticos eorumque errores* sequentibus canonibus exterminaturos; inter eos autem canones habentur tertius et quartus, de quibus nostra est pertractatio. Itaque canones illi utpote ad doctrinam pertinentes habendi omnino sunt tamquam dogmatici. Idque multo explendescit magis ex eo, quod eisdem canonibus adnexum est in repugnantes anathema. Nam anathematis, ut omnes norunt, natura est, ut ille, in quem coniicitur, tamquam ethnicus et publicanus ab Ecclesiae Catholicae congregatione prorsus separetur; iure autem ab Ecclesia repellitur, qui eius doctrinam universa Episcoporum consensione firmatam non audit. Neque unquam universalis Ecclesia proponet Fidelibus doctrinam aliquam sub anathematis poena retinendam, nisi ipsa in SPIRITU S. congregata id agnoverit decernendum. Secus actum esset de Ecclesiae ipsius infallibilitate. Ergo illi Tridentini Canones de Ecclesiasticae Hierarchiae potestate in dirimentia matrimonium impedimenta dogmatici sunt. Quod erat secundo loco demonstrandum.

V I.

Restat tertium: nempe in iis Tridentini Concilii canonibus sermonem esse de potestate, quae ipsi Ecclesiastico Ordini intima et propria sit; quod facilis est demonstrationis. Namque compertum apud omnes est, congregari Ecclesiae Concilia ad definienda tantum ea, quae ad intimam propriamque eius po-

eius potestatem, quaeque ad Ecclesiastica tantum negotia spectant. Quare Tridentini Patres ne initio quidem Concilii fecere mentionem potestatis Ecclesiasticae, qua ipsum cogebatur Concilium; sed tantummodo se in Spiritu S. congregatos dixere; quod de potestate quidem Ecclesiastica ac divino praesidio potest intelligi, sed de divino potius auxilio dumtaxat esse interpretandum alii contendent. At PAULLUS III. in Bulla indictionis Concilii ait: *Igitur Dei omnipotentis PATRIS, et FILII, et SPIRITUS S. ac beatorum Apostolorum PETRI & PAULLI auctoritate, qua nos quoque in terris fungimur, freti atque subnixi .... sacrum oecumenicum et generale Concilium .... incipiendum, prosequendum, perficiendumque indicimus, annuntiamus, convocamus, statuimus, atque decernimus.* Quod quidem, quum agatur de re notissima, satis profecto erat ad indicandam Ecclesiasticam potestatem, qua sicuti indicebatur, ita quoque cogebatur Concilium, et definiebantur, quae in ipso definienda ac definita sunt ad haeresum extirpationem, atque ad morum reformationem.

VII.

Praeterea Tridentini Patres de Matrimonio agentes sessione XXIV. eum praemittunt canonibus sermonem, ex quo necessario consequens est, eosdem in hac re universa uti Ecclesiastica tantummodo auctoritate. Narrant enim, impios homines perperam de hoc Sacramento sentire, et multa ab Ecclesiae sensu, et ab Apostolorum temporibus probata consuetudine aliena scripto et verbo asserere, non sine magna Fidelium iactura: deinde haec addunt: *quorum temeritati sancta et universalis Synodus cupiens occurrere, insigniores schismaticorum haereses et errores .... exterminandos duxit, hos*

in ipsos haereticos, *eorumque errores decernens anathematismos*; inter quos continentur duo lati in duobus canonibus, quos Cap. I. §. 1I. recitavimus. Ergo impiorum ac schismaticorum hominum tunc ferebatur error, Ecclesiam nec *posse*, nec *potuisse* dirimentia connubiorum impedimenta constituere; adeoque nec ab iisdem dispensare. Quis autem fuit unquam ex haereticis, qui dixerit, Ecclesiam haec non potuisse, nec posse ex Principum indulgentia? Nemo sane; sed ipsi contra Ecclesiae potestatem insurgentes, hanc eidem eripere conabantur, quae ipsi intima et propria est. Quod si Ecclesia tunc et a vetustioribus etiam temporibus potestatem illam ex Principum dumtaxat permissu habuisset, quid intererat haereticos id negare, quum revera nemo ex Principibus de hac re quaestionem permoverit? Negassent historiam, de qua nulla fuisset dubitatio. Nec ergo intererat Tridentinos Patres illud canonibus et anathematismis confirmare. In Concilium enim coacti sunt, ut haereses ab Ecclesia extirparent, sicut ipsi fassi sunt primis tribus ejusdem Concilii sessionibus. At haeretici, ut antea diximus, illud nunquam negarunt; nullus ergo erat de hac re error a Tridentinis Patribus convellendus. Quapropter ne subspicandum quidem est, eosdem Patres definientes, Ecclesiam posse ac potuisse constituere dirimentia matrimonium impedimenta, cogitasse de tacito vel expresso Principum in hanc potestatem consensu.

VIII.

Quod si velint, a Tridentinis Patribus definitum, Ecclesiam potuisse ac posse ex Principum consensu constituere impedimenta illa; hinc sequeretur, Tridentinos Episcopos extraordinario divini SPIRITUS auxilio adjutos illud definiisse, quod non erat ab

ab ipsis definiendum, vel definisse diversa prorsus ratione ab ea, qua iidem intelligebant esse definiendum. Utrumque vero satis absurdum. Ac primum quidem; quod enim a Tridentina Synodo est definitum, ad Fidei dogma pertinere ostendimus iam §. v. At Fidei nostrae dogmata vel in sacris litteris, vel in Apostolica Traditione fundamentum habent. Quis vero est, qui censeat, illud ad Scripturam, vel ad Apostolicam Traditionem pertinere, de quo nulla est in Scripturis, nullaque in Traditione fuit vel levis mentio. In Scripturis quidem nullam esse mentionem de hac indulgentia Principum Ecclesiae concessa, nemo negaverit. Nec reperiri in Traditione ullum eius indulgentiae vestigium ex eo possumus intelligere, quod adversarii nostri tacitum vel expressum de hac Ecclesiae potestate appellent Principum consensum; ex quo sane primo demonstrant expressum huiusmodi consensum, quem indigitare non possunt, inane esse commentum. Idemque de tacito consensu esse iudicandum infra Cap. v. et vI. a nobis demonstrabitur; ubi ostendemus, admitti non posse in Ecclesia eius potestatis usum ex tacito illo consensu, nisi in universa Ecclesia probrosam alieni iuris usurpationem fateamur; adeoque nisi admittamus, Ecclesiam universam in iudicio de sua potestate turpiter erasse; quod Catholicus nunquam concesserit.

I X.

Iamvero ex demonstratis §. ııI. Ecclesiae nomen in Tridentinis canonibus adhibitum Ecclesiasticam significat Hierarchiam. Ergo si iisdem canonibus definitum fuisset, posse Ecclesiam constituere impedimenta illa, idque esset intelligendum posse Ecclesiam ex auctoritate Principum, consequens esset, ut plurimum concedam, dubiam esse canonum Tri-

dentinorum significationem, quum in iisdem facta non sit mentio auctoritatis Principum. Quis vero in primis sibi suadeat, Patres omnes, omnesque Theologos Tridentinos adeo stupidos fuisse, ut canones conderent, in quibus, dum ageretur de re tam perspicua, tam gravem relinquerent de potestate aut Ecclesiastica aut Regia dubitationem? Quis vero putet, Regios Oratores adeo in Concilio dormitasse, ut sine ullo quaestionum conflictu permiserint condi a Tridentinis Episcopis canones, qui vel quidquam detraherent de potestate Principum, vel eamdem in maximum verterent discrimen? Atqui Oratores illi, accerrimi Regiae potestatis defensores diligentissime cavebant, ne quid detrimenti paterentur iura Principum; ac propterea non modo quae erant in Concilio definienda, sed eorum caussas et rationes intime pernoscere volebant. Nulla tamen fuit, quaestio de illius genere potestatis, qua Patres edituri erant supradictos canones, ut Cap. VIII. evidenter demonstrabitur; ac si vel levis fuisset de eadem disceptatio, nunquam sane permisissent Oratores illi, ut sine adiecta conditione promulgarentur Tridentini canones.

X.

Sed mirum magnopere est, hac splendidissima scientiarum aetate dubitari, quin ea verba *posse Ecclesiam*, accipienda sint de Ecclesiastica potestate. Nam iterum dicam, demonstratum superius est, Ecclesiae nomen in Canonibus Tridentinis, de quibus quaestio est, Ecclesiasticam significare Hierarchiam; ergo dum in oecumenico Concilio definitur, Ecclesiam posse constituere impedimenta matrimoninm dirimentia, nulla adiecta huic potestati conditione, evidens cuilibet sanae mentis viro est, in hac definitione sermonem esse de propria Ecclesiasticae Hierar-

rarchiae potestate. Quod enim in Conciliis agitur, id ex Ecclesiastica potestate perficitur; ut ex Concilii natura quisque intelligit. Quare quum absolute dicitur, Ecclesiam posse leges aliquas condere, sicuti sunt leges de connubiorum impedimentis, nemo est qui recta ratione utens non agnoscat propriam ipsius Ecclesiastici Ordinis potestatem; sicuti quum dicitur aliquid posse Principes, illico quisque percipit eos proprio iure id posse. Nunquam mirari desinam, florentissima nostra aetate grammaticales huiusmodi quaestiones a Theologis permoveri, quae ne ridiculis quidem forensibus, sit verbo venia, in honore essent.

X I.

Quod autem Ecclesiae nomine in Tridentinis canonibus intelligi debat Ecclesiastica Hierarchia, quae propria auctoritate de eodem matrimonio fert leges, colligi id etiam evidenter potest ex clandestini coniugii irritatione ab eodem Concilio Tridentino promulgata. In decreto igitur *de Matrimonii reformarione* Cap. I. haec habentur: *Tametsi dubitandum non est, clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata et vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit:* &c. Iamvero concedent, ut arbitror, Ecclesiae nomen eamdem habere significationem tam in hoc decreto, quam in supradictis canonibus. At in hoc decreto nomen illud Ecclesiasticam significat Hierarchiam propria auctoritate utentem. Hoc primo demonstrat naturalis sensus verborum, quibus decretum ipsum continetur, tum vero etiam demonstrant ejusdem decreti circumstantiae. Primo itaque asseritur, *matrimonia illa rata ac vera fuisse, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit*. Quum autem absolute dicitur aliquid ab Ecclesia definitum, profecto ex

 ver-

verborum proprietate, et communi omnium acceptione intelligitur definitum auctoritate propria. Communis enim consuetudo a recta ratione praecepta fert, ut quum quis aliquid iubet auctoritate aliena, seu delegata sive ab altero concessa, debeat ad commonstrandum definitionis valorem ostendere, qua auctoritate agat illud, quod auctoritate sua perficere non potest: secus enim inutile prorsus ederet decretum, inutilem ferret definitionem. Mentio autem alienae potestatis tum multo magis est necessaria, quum ille qui eam concessit, paratissimus est ad sua servanda iura contra eos, qui forte alicuius legis definitione iura eadem turbare possit. Iamvero ad Tridentinum Concilium convenerant Episcopi, et Oratores haud pauci, Regiae potestatis defensores optimi atque accerrimi, qui non modo aderant Concilii ipsius definitionibus, sed qui curabant magnopere rationes scire, quibus aliquid definiendum Patres Tridentini sibi susceperant, ne scilicet aliqua uterentur ratione, quae Principum iura vel tantillum attingeret. Atqui Episcopi et Oratores illi Regii iuris peritissimi tantum abest ut subspicarentur de Regia potestate in clandestina matrimonia, quin imo totis viribus rogarunt Concilii Patres, ut clandestina irritarent coniugia; idque absolute ab iisdem peterent, nulla iniecta conditione de servanda in decreto Regia potestate; nec Patres in Spiritu S. congregati dubitarunt unquam de hac re, sed de tot aliis rationibus, hac semper intacta, diutissime disputarunt; ergo consequens est, Ecclesiam edidisse auctoritate propria decretum de irritandis clandestinis coniugiis. Si namque Ecclesia usa fuisset concessa sibi Regia potestate, numquam sane permisissent Episcopi atque Oratores Regii, ut Patres in illo edendo usurparent verba, quae iuxta com-

commuuem acceptionem, ac multo etiam magis iuxta rei circumstantiam significabant propriam Ecclesiae potestatem. Itaque decretum de clandestini coniugii irritatione editum dignoscitur propria ipsius Ecclesiae auctoritate; sed eadem auctoritate, qua conditum est huiusmodi decretum, sive eius materiam, sive ipsius formulas spectemus, editi quoque sunt a Tridentinis Patribus canones de Ecclesiae potestate in dirimentia coniugiorum impedimenta; ergo et canones huiusmodi intima ac propria non aliena auctoritate editi sunt ab Ecclesia in Tridentino Concilio congregata. Itaque demonstratum evidenter est §. II. ex Tridentinis canonibus Ecclesiam habere potestatem in dirimentia matrimonium impedimenta; §. III. Ecclesiae nomen in supradictis canonibus adhibitum esse ad Ecclesiasticam Hierarchiam significandam; §. V. eosdem Tridentinos canones dogmaticis esse adnumerandos; demum §. §. VI. et VII. in iisdem Tridentinis canonibus sermonem esse de potestate, quae ipsi Ecclesiastico Ordini intima ac propria est. Q. E. D.

CAPUT II.

Affertur responsio argumentis, quibus probare nituntur, Ecclesiae nomen adhibitum in Tridentinis Canonibus non esse ad significandum Ecclesiasticum Ordinem, sed ad indicandos saeculi Principes, qui sunt Catholicae Ecclesiae partes.

I.

DEmonstratam superius quadripartitam propositionem vindicare nunc oportet ab acutissimis praestantium adversariorum argumentis. Itque, ut eumdem sequamur ordinem, qui retentus est in propositionis demonstratione, hoc loco ea examini subiiciemus argumenta, quibus conantur ostendere, Ecclesiae nomen in Tridentinis canonibus superius recitatis coercendum non esse ad Ecclsiasticum ordinem, sed revocandum ad saeculi Principes, tamquam ad Catholicae Ecclesiae partem. Itaque TAMBURINIUS (*de matrimon.* Cap. III. §. LXXXVII.) postquam recensuit illorum opinionem, qui arbitrati sunt, non Ecclesiae sed solius civilis potestatis onus esse constituendi dirimentia matrimonium impedimenta, conciliare studet magnopere cum hac opinione expositam Tridentinorum canonum sententiam. Ergo proponit eorumdem canonum interpretationem, quam primo LAUNOIUS forte ex impuris MARCI de DOMINIS apostatae fontibus hausit, quamque silentio tegendam existimavit NESTIUS. Itaque LAUNOIUS Ecclesiae nomen in Tridentinis illis canonibus expressum interpretatur non de Sacerdotali ordine, sed de omnium Catholicorum coetu; quod, usitatior sit illius vocis acceptio, nisi aliter ex adiun-

iunctis determinetur ad Sacerdotalem ordinem unice significandum : sic ipsa Tridentina Synodus (sess. xxiiiI. *de Reform*. cap. I.) vocem hanc in eo sensu accepit, quum definiit, matrimonium *in facie Ecclesiae* celebrandum esse, idest coram fidelibus, inquit cum LAUNOIO TAMBURINIUS, *sive laici sint, sive Clerici*.

II.

Nihil est autem, prosequitur TAMBURINIUS §. lxxxviiI. in Tridentinis canonibus, quod nos adigat, ut eamdem vocem ad Sacerdotalem coetum unice revocemus. Nam primo nullus in hac re fuit conflictus inter Sacerdotes et Principes: vix aliquod huius quaestionis vestigium invenitur in Tridentina Synodo. Scopus etiam, quem habuit Synodus in iis canonibus statuendis indefinitam reliquit illius vocis significationem; siquidem sibi proposuit Synodus errorem proscribere Novatorum, qui dicebant nullam humanam potestatem ius habere dirimendi matrimonium: id vero ad ius divinum spectare, nimirum servanda esse impedimenta in Levitico expressa, non vero quae humanis sancita sunt legibus. Ut autem Synodus errorem hunc convelleret, necesse non erat, Ecclesiae nomen coercere ad Sacerdotalem ordinem, quum satis ille corruat, quocumque modo sumatur Ecclesia sive pro parte, sive pro illius universitate; nam semper verum est, praeter ea quae iure divino posita sunt, alia poni posse impedimenta dirimentia humana auctoritate, quae residet in Ecclesia, prout est Fidelium collectio. Quum ergo res, de qua agebatur, spectet ad ordiem civilem atque politicum, propterea civilem potestatem directe respicit; adeoque hoc potius favet generali Ecclesiae acceptioni, prout complectitut etiam Reges et Principes. Ergo facile intelligitur, Synodum dicere potuis-

tuisse, Ecclesiam posse constituere impedimenta matrimonium dirimentia; quum notum sit, de Ecclesia tota saepe praedicari, quod ab una eius parte efficitur. Quapropter Synodus Ecclesiae nomine complexa est Reges; atque ideo intelliguntur sancita ab Ecclesia impedimenta, quae a Regibus constituta sunt. Haec iisdem fere verbis TAMBURINIUS, qui plura alia omisit, quae magis absurda dixerat LAUNOIUS.

III.

Eadem vero ex LAUNOIO et TAMBURINIO collecta argumentum huiusmodi suppeditant: Ecclesiae nomen in Tridentinis canonibus, de quibus sermo, significat non Ecclesiasticum Ordinem, sed coetum fidelium, quod in hac significatione Concilium Tridentinum alibi idem Ecclesiae nomen usurpaverit; quod LUTHERUS negaverit sancienda humanis legibus impedimenta matrimonium dirimentia; quodque huiusmodi leges ad civilem ordinem spectent. Sed fateor, me in primis ignorare, cur TAMBURINIUS, qui aliorum sententias et argumenta, quae sibi favere putat, diligenter commemorat atque describit, praeterierit tamen hoc loco, quam dedimus cap. I. §. II. probavimusque LEULLERII responsionem, quam ne indicat quidem ut contemnendam. An id consentaneum sit bonae fidei scriptori, qui rem historice se narraturum pollicitus est, quique postremo suffragium in Launoianam tulit sententiam, plures certe in dubium saltem vocaverint. Nos vero, qui novimus, in hisce fere omnibus accuratum fuisse TAMBURINIUM, illius de hac re silentium scriptori nimis properanti certo adscribemus. Demonstravimus ergo, Ecclesiae nomine, quum agitur de Ecclesia docente, imperante, vel prohibente, intelligi posse tantummodo Eccle-

sia-

siasticum ordinem, cui inest docendi, imperandi, prohibendive auctoritas; universalis enim Ecclesia in SPIRITU S. congregata non definit nisi ea, quae ex Ecclesiastici Ordinis potestate decerni possunt. Ergo quum definitum a Tridentino Concilio est, Ecclesiam posse constituere impedimenta matrimonium dirimentia; eadem Tridentina Synodus Ecclesiae nomine Ecclesiasticam significavit Hierarchiam. Quod aliquando in ipso Concilio Ecclesiae nomen adhibitum sit ad significandum coetum Fidelium, nemo unquam in dubitationem verterit; quod autem saepenumero ab eiusdem Concilii Patribus adhibitum sit ad significandam Ecclesiasticam Hierarchiam, pluribus in locis superius Cap. I. §. III. demonstratum est. Ergo aliqua debet esse caussa, qua dignoscatur in diversis locis diversa ejusdem vocis significatio. Sed assignata superius hac ratione constat, Tridentinos canones de Ecclesiae potestate in dirimentia connubiorum impedimenta intelligendos de ipsa Ecclesiastica auctoritate a civili distincta. Res ergo ita se habet.

IV.

Antequam vero progrediamur, animadvertendum magnopere, est quod initio ait TAMBURINIUS: *nullus in hac re fuit conflictus inter Sacerdotes et Principes: vix aliquod huius quaestionis vestigium invenitur in Tridentina Synodo*; nimirum an Ecclesiae nomen esset ad Sacerdotalem coetum unice revocandum. Captiosum appellaverit aliquis ex recentioribus criticis hunc scribendi morem; nos vero, qui arbitramur raro admodum de captione accusandum Catholicum scriptorem, locum hunc obscurum implicatumque, nec Concilii Tridentini historiae satis conformem putamus. Nullus ergo de illa vocis Ecclesiae significatione fuit conflictus; aliquod ta-

tamen fuit in eo Concilio eiusdem quaestionis vestigium. Quaeret aliquis, cur post quaestionis initium nullus fuerit conflictus? Quod nempe facile in determinatam aliquam eiusdem vocis significationem convenerint Episcopi, et Principum Oratores; secus sub iudice mansisset nondum definita quaestio, neque Concilii Patres manente adhuc disceptatione decretum aliquod edidissent, cuius vis ab eiusdem nominis significatione plurimum penderet, quodque non constituta ea significatione turbas haud paucas semper in Ecclesia excitasset. Quae ergo fuit illa eius nominis significatio, in qua Episcopi cum Regiis Oratoribus convenere? Hoc siluit TAMBURINIUS, forte nimis properanter conscribens diversarum de potestate in dirimentia impedimenta opinionum historiam. Atqui contendens ille, nomen Ecclesiae in Tridentinis canonibus, de quibus disserimus, usurpatum, non esse unice coercendum ad significandum Sacerdotalem ordinem, ex hac interpretatione deducit referendum esse ad Principes ut nobilissimam Ecclesiae partem. Ergo TAMBURINIUS videtur existimasse idem nomen tunc in hoc sensu fuisse adhibitum; secus quam habuisset vim ipsius interpretatio? At quaeso, in qua nam Tridentini Concilii historia illius quaestionis vestigium? An apud SARPIUM, an apud PALLAVICINIUM? Neque enim alium novit COURAYERUS eiusdem historiae scriptorem. At quo alteruter in loco haec narrat? Quo monumento innitur? Nullum prorsus locum, nullum reperies de hoc quaestionis vestigio monumentum. Illud vero invenies, SARPIUM de bonorum Ecclesiae administratione loquentem, pronuntiasse, communem esse omnibus fidelibus Ecclesiae nomen. Hoc fatetur et PALLAVICINIUS, sed errorem SARPII in ea propositione latere subspicatus est, quod an iu-

iure, an immerito fecerit PALLAVICINIUS, huius instituti non est investigare. Illud ergo est quidem in historia Concilii; sed non omnia, quae narrantur a SARPIO vel PALLAVICINIO, ad ipsius Concilii acta pertinent. Vereor itaque ne pro actione Concilii sumptum a TAMBURINIO properante sit illud, quod in eius historia conscriptum a SARPIO et PALLAVICINIO fuit de re, quae in eadem Synodo pertractata minime est. Mihi quoque aliquando properanter scribenti simile aliquid contigisse memini.

V.

Quum ergo nulla in Concilio fuerit de Ecclesiae nomine disputatio, quis sibi unquam suadeat, idem nomen adhibitum in eodem Concilio non fuisse ad significandam Ecclesiasticam Hierarchiam leges de matrimonio ferentem? Id vero magis magisque confirmat, quod propositum fuit Tridentinis Patribus canones illos decernentibus. Fatentur enim TAMBURINIUS ac NESTIUS cum LAUNOIO damnatum in iis canonibus LUTHERI errorem. At LUTHERUS denegabat non civili sed Ecclesiastico tantum ordini potestatem constituendi dirimentia matrimonium impedimenta; LUTHERUS enim, ut obiiciunt TAMBURINIUS et NESTIUS, aiebat: *Coniunctio viri et mulieris tenet quocumque modo contra leges hominum contigerit*; ac proinde, inquiunt, addebat, *debere Sacerdotes ea omnia matrimonia confirmare, quae contra Ecclesiasticas vel Pontificias leges fuerunt contracta, in quibus Papa dispensat, et quae non sunt in sacra Scriptura expressa*. Quis vero est, qui Ecclesiasticarum et Pontificiarum legum nomine intelligat leges a Principibus latas, non eas quas vel Episcopi in Conciliis, vel Pontifices extra Concilia promulgarunt? Sunt quidem et

Prin-

Principum leges in Ecclesiae favorem latae, quae propterea Ecclesiasticae possent aliqua ratione nuncupari. At quoniam Ecclesiasticarum legum nomine per antonomasiam intelligi oportet eas, quas condunt sacri Pastores, atque hoc ipso nomine Episcoporum et summi Pontificis leges proprie omnino indicantur; idcirco quae a Principibus conditae sunt, ut ab aliis distinguantur, nuncupandae essent, ut plurimum concedam, Ecclesiasticae Principum leges, non vero absolute Ecclesiasticae leges. At sicuti quum Ecclesiasticos dicimus Iudices, res Ecclesiasticas, Ecclesiasticasque personas, nemo est qui non statim intelligat sermonem esse de rebus ad sacrum Clericorum coetum spectantibus; ita quoque Ecclesiasticarum legum nomine eas necesse est agnoscere, quae ab Ecclesiasticis Pastoribus promulgantur. LUTHERUS praeterea non modo Ecclesiasticas nominat leges, sed has cum Pontificiis coniungit. Nulla ergo dubitatio est, quin ipse Ecclesiasticarum nomine intellexerit, eas quae ab Episcopis in Conciliis, Pontificias vero, quae a summo Ecclesiae Pastore, quem Pontificem vulgo appellatum novimus, conditae iam fuerant. Hae vero Ecclesiasticae et Pontificae leges sunt illae, quas LUTHERUS per summam iniuriam ipsi familiarem appellat *leges hominum*. Neque enim unquam meminit legum civilium. Quod si ipse iis verbis *leges hominum* comprehendisset leges etiam civiles, harum etiam postea meminisset, neque clamasset tantummodo confirmanda a Sacerdotibus esse matrimonia contra leges Ecclesiasticas, vel Pontificias, sed addidisset etiam humanas, seu civiles; secus mens fuisset LUTHERI confirmanda a Sacerdotibus non esse matrimonia contra humanas seu civiles leges contracta; at ille expressis verbis initio dixit valida esse matrimonia contra

tra leges humanas quocumque modo inita; ergo humanarum legum nomine non nisi eas comprehendit, quae ab Ecclesiae Pastoribus latae fuerant; humanas vero appellat, ut eas divinis opponat, quae non sunt, inquit, in *sacra scriptura* expressae.

VI.

Sed haec licet clarissima, ex integro tamen LUTHERI sermone, non ex allatis tantum a LAUNOIO, TAMBURINIO et NESTIO illius verbis, luculentius confirmanda sunt. Constabit nimirum evidentissime ex tota ipsius orationis serie, *leges hominum*, quas vocat LUTHERUS in recitata primae periodi parte, esse leges Ecclesiasticas ab impudentissimo Haeresiarcha nuncupatas. Itaque ante allata eius verba habet haec alia: *Quid autem dicemus de impiis hominum legibus, quibus hoc vitae genus* (coniugium) *divinitus institutum, est irretitum, sursum ac deorsum iactatum? Deus bone horror est intendere in temeritatem Romanensium Tyrannorum, adeo pro libidine sua dirimentium, rursus cogentium matrimonia*, Regum, Imperatorum, Principum leges nunquam vel leviter commemorat. *Romanesium tyrranorum* impio ac sacrilego nomine indicatos Rom. Pontifices, ac forte etiam Romanae Sedis ministros ille tantum ignorat, qui nec LUTHERUS noverit, nec eius libros pervolutaverit unquam. Quum igitur hoc loco impias *hominum leges* appellet, nec mentionem aliquam faciat Principum, sed tantummodo Rom. Pontificum, quis non videat, eo nomine Ecclesiasticas de matrimonio leges a LUTHERO improbatas?

VII.

Ex iis quae statim ipse addit, clarius id etiam explendescit. Haeresiarca enim damnat catholicum quemdam librum *summa Angelica* inscriptum, in quo de-

declarata ad Poenitentiariorum utilitatem sunt ea, quae ex Ecclesiastica auctoritate statuta fuere connubiorum, impedimenta; atque iterum Romanorum Pontificum leges infectatur accerrime. Tum vero scribit: *dico monens et rogans omnes Sacerdotes et fratres, si viderint aliquod impedimentum, in quo Papa posset dispensare, et quod non est in Scriptura expressum, ut ea matrimonia confirment, quae contra Ecclesiasticas tyrrannicas vel Pontificias leges fuerunt constituta .... coniunctio enim viri et mulieris est iuris divini, quae tenet quocumque modo contra leges hominum contigerit, debentque leges hominum ei cedere sine ullo scrupulo. Si enim homo relinquet patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae, quanto magis conculcabit frivolas et iniquas leges hominum, ut adhaereat uxori suae. Et Papa vel Episcopus, vel Officialis si dissolverit aliquod matrimonium contra legem Papalem contractum, antichristus est, et violator naturae, et reus est laesae maiestatis divinae*. Hoc pariter in loco *leges hominum* LUTHERUS nuncupat, et non nisi Ecclesiae Pastores aut ministros reprehendit. Veluti Antichristum accusat eum, qui matrimonium dissolverit *contra legem Papalem contractum*. Si legibus hominum vel intellexisset LUTHERUS, vel comprehendisset quoque Principum leges, dixisset utique, Antichristum esse non modo eum, qui dissolvit matrimonia contra leges Papales, sed etiam contra leges Principum inita. Ergo vel valida tantum agnovit impedimenta a Principibus statuta, vel non agnovit nisi impedimenta ab Ecclesiacticis legibus profecta. In utraque autem hypothesi corruit omnino argumentum a Launoianis propositum. In prima enim hypothesi non poterant Patres Tridentini Concilii LUTHERUM damnare in eo sensu, quod ipse negas-

set

set Principum in matrimonia auctoritatem; ac propterea decernentes Ecclesiam potuisse, Ecclesiam posse constituere impedimenta illa, repugnat prorsus, quod Ecclesiae nomine intellexerint Catholicos Principes, veluti eam auctoritatem in Catholicorum coetu habentes; in altera autem hypothesi exploratum pariter est, Tridentinos Episcopos Ecclesiae nomine non intellexisse nisi Ecclesiasticam Hierarchiam, iurisdictionemque. Alia habet LUTHERUS his omnino similia in eo, quem prosequitur huiusce generis sermonem. Tandem suo libello *de captivitate Babylonica* colophonem in eodem sensu imponit scribens: *sola aucturitate Papae, aut Episcoporum heic definire nihil volo*.

VIII.

Si clariora adhuc quis desideret, lucem meridiana illustriorem exoptaverit. Verumtamen monumenta alia ad hanc lucem confirmandam proferre possumus. Ille Haereticorum Princeps miserrimus in alio libello inscripto: *Responsio ad articulos, quos magistri nostri ex Babylonica* (nempe ex libro *de captivitate Babylonica*) *excerpserunt*, quos magistros deinde *collectores* appellat, affert collectorum animadversiones in supradictuum librum *de Babylonica captivitate*, eisque brevissima adiicit ad sui ipsius defensionem responsa. Ergo collectores illi aiebant, improbandam esse LUTHERI sententiam hanc: *Christianis nihil ullo iure posse imponi legum sive ab homine, sive ab Angelis, nisi quantum volunt*. Hoc dixerat LUTHERUS relate ad matrimonii impedimenta; attamen ipse reponit: *hoc non de civilibus legibus, sed de Ecclesiasticis dixi*. LUTHERI ergo interpretem habes LUTHERUM ipsum, qui quum declaret se hoc in loco excipere civiles leges, definit pariter, se iis formulis, *leges humanas, le-*

ges hominum, et huiusmodi intelligere non leges Principum, sed leges Ecclesiasticorum, quos non sine contemptu homines, eorumque leges humanas appellat. Itaque quum generalis sit eiusdem interpretatio, quam subiicit propositioni suae universali, quum nempe doceat, teneri homines legibus civilibus, idest legibus Principum; consequens inde est, eorumdem Principum leges ex LUTHERI sententia vim habere, atque diligenter servandas esse. Atqui LUTHERUS ita loquutus est etiam de legibus coniugiorum; nam collectores illi inter impias Haeresiarchae propositiones recensent hanc aliam: *nullo impedimento prohiberi matrimonium aut contractum dissolvi, praeterquam primo affinitatis, ac secundo consaguinitatis gradu, neque tamen universaliter etc.* Quam ad sui patrocinium interpretatus propositionem LUTHERUS respondit: *hoc dixi quoad praeceptum Dei, licet Papa aliud ordinet*. Ergo exclusam semper voluit LUTHERUS in hisce etiam coniugiorum legibus Principum auctoritatem, atque solius Pontificis Ecclesiasticam potestatem exercentis leges impius Haeresiarcha redarguit. In ceteris quoque Pontificiam auctoritatem ut divinae legi repugnantem semper eadem proterva fronte iniquus reprehendit.

IX.

Denique et facultas Theologica Parisiensis, cuius *Determinatio super doctrina Lutherana* addita est tomo II. LUTHERI operum, binas affert LUTHERI propositiones ea ratione, qua a NESTIO, et TAMBURINIO allatae sunt, atque easdem hac censura notandas censuit: UTRAQUE HARUM PROPOSITIONUM EST FALSA, ECCLESIAE POTESTATI IMPIE DEROGATIVA, EX DAMNATO WALDENSIUM ERRORE PROCEDENS.

Qua-

Quare hinc consequitur, Parisienses Theologos, qui probe noverant LUTHERI sententiam, existimasse tam LUTHERUM quam Waldenses haereticos damnantes matrimonii impedimenta ab Ecclesia statuta, Ecclesiae nomine non Principes, sed Ecclesiasticos Pastores intellexisse. Perspicuum enim quammaxime est, LUTHERUM loquutum de connubiorum legibus, haud improbasse civiles Principum leges, quas imo exceptas a suis reprehensionibus voluit, sed eum in Ecclesiastica huiusce generis decreta dumtaxat toto furore debacchatum esse.

X.

Ergo Tridentini Patres, qui illud sibi proposuere, ut in recitatis initio canonibus atque anathematismis impios haereticorum ac praesertim Lutheranorum errores convellerent, eosdem condidere canones, quibus statuunt atque definiuunt, Ecclesiam potuisse ac posse sine ullo erroris metu constituere connubiorum impedimenta plura iis, quae sunt in sacris Litteris expressa, et matrimonii causas ad eamdem Ecclesiam pertinere; at Ecclesiae nomine, ut hucusque demonstratum validissime, ac evidentissime a nobis est, non Principes, sed sacros Ecclesiae Pastores tantummodo comprehendebat LUTHERUS; inanis ergo, commentitia ac falsa prorsus est illa Tridentinorum canonum interpretatio, quam studio suo nimis indulgens sibi finixt LAUNOIUS, quamque doleo vehementer, a TAMBURINIO ex Launoianis vepribus incaute productam.

X I.

Quod postremo addit TAMBURINIUS, leges matrimonia quaedam dirimentes pertinere ad ordinem civilem; adeoque Ecclesiae nomen in Tridentinis canonibus revocandum esse ad saeculi Principes, tamquam ad Ecclesiae partem; hoc inquam

plures habere posset responsiones, quas attulere viri doctissimi. Nos vix aliquid attingemus, qui ex Tridentini Concilii definitione responsionem heic afferendam esse arbitramur. Itaque ipsis adversariis onus incumbit demonstrandi, si contra nos disputent, ita eas leges ad civilem ordinem spectare, ut pertinere non possint ad Ecclesiasticam potestatem, sicuti ad hanc pertinere fatendum est, indicere ieiunia ac festos dies, aliaque huiusmodi, quae videntur civilem ordinem attingere. Sed quibuscumque aliis responsionibus praetermissis, illud dumtaxat animdvertendum esse censeo, quod antea demonstravimus, nimirum Ecclesiae nomen in Tridentinis canonibus significare ipsam Ecclesiasticam Hierarchiam, cui a Concilio oecumenico tribuitur potestas constituendi dirimentia coniugiorum impedimenta; quodque pariter Cap. I. §. vI. vII. vIII. demonstratum est, Ecclesiasticam Hierarchiam in illis constituendis legibus et impedimentis propria usam fuisse potestate. Ergo universalis Ecclesia in SPIRITU S. congregata, divinoque extraordinario praesidio adiuta sine ullo erroris metu periculove definiit, leges de dirimentibus matrimonium impedimentis ad propriam pertinere auctoritatem. Hinc ergo TAMBURINIUS sibi responsionem sumat paratissimam,

C A-

CAPUT III.

Affertur responsio argumentis, quibus probare nituntur Tridentinos Canones de Ecclesiae potestate in dirimentia matrimonium impedimenta, dogmaticis non esse adnumerandos.

I.

Victos nunc primum se fatentur licet inviti obtrectatores nostri, dum, postquam probare conati sunt Ecclesiae nomen in iis canonibus adhibitum, revocandum esse ad civilem Fidelium potestatem, nunc eosdem canones non esse dogmaticos contendunt. Ad disciplinam ergo spectantes tantummodo agnoscunt; adeoque concedunt Ecclesiasticam Hierarchiam condere posse leges de impedimentis matrimonium dirimentibus. LAUNOIUM ergo et TAMBURINIUM, NESTIO loquente, audiamus. Ait nimirum Cap. VIII. *eos turpissime labi, qui huiusmodi Tridentinos canones utpote anathematis poena munitos ad fidem pertinere comminiscuntur. Et re quidem vera non omnis, qui anathemate firmatur canon, dogmaticus continuo evadit; sed ex illius fine, natura, atque indole spectandum est, an de re, quae ad fidem pertineat nec ne agatur, quin aliquod vel omnia in unum collecta anathemata negotium facessere debeant. Quum igitur Tridentinorum, de quibus sermo est, canonum materia nullam prae se fidei dogma ferat, perspicuum est, eiusmodi canones ad disciplinam dumtaxat pertinere ea prorsus ratione, qua non ad fidem, sed ad solam disciplinam spectant Romani Concilii a GREGORIO iuniore coacti canones, quibus nonnullae, quae neglige-*

 ban-

bantur de matrimonio leges, *anathemate confirmantur*: si quis commatrem spiritualem duxerit in coniugio, anathema sit: si quis consobrinam suam duxerit in coniugio, anathema sit. *Quaecumque igitur ad fidem suapte natura non pertinent, nec millibus indictis anathematibus in catholicum dogma evadunt.*

II.

Plura in hoc argumento sunt diligenter secernenda, quae nos identidem recto ordine distinguemus. Ac principio quidem non moramur eos, si qui unquam fuere, qui arbitrati sint, ex anathemate dumtaxat canonibus adnexo erui dogmatis definitionem. Probavimus iam supra Cap. I. §. V. canones dogmaticos alia ratione dignoscendo esse. Itaque obiectus canon ille GREGORII II. disciplinae est, quod actionem praecipit; canon vero Tridentini Concilii, qui anathemate perculit eos, qui negaverint Ecclesiae potestatem constituendi dirimentia coniugiorum impedimenta, dogmaticus est, quod doctrinam sub anathemate retinendam proponit. *Si quis dixerit* etc., vetat nimirum dicere, quia vetat credere; neque enim Synodus oecumenica vetaret unquam ac sub anathematis poena quidquam dicendum, sive docendum, nisi eodem tempore fidei dogma constitueret; secus in turpissimam incideret contraditionem. Si vero exposita ratio dignoscendi dogmaticos oecumenicorum Conciliorum canones non admittatur, nullum reperiemus dogma in Tridentina Synodo a Patribus definitum; omnes enim huius Concilii canones hisce formulis editi sunt: *Si quis dixerit*, *si quis negaverit*, aut omnino similibus. Attamen Tridentini Patres tum initio Concilii, tum singulis locis, quibus errores condemnarunt, se definituros catholicam adversus haereses doctrinam sunt

pol-

polliciti. Ita initio sessionis xxiiI., qua doctrinam tradunt de matrimonii sacramento, inquiunt: *universalis Synodus . . . insigniores praedictorum schismaticorum haereses et errores, ne plures ad se trahat perniciosa eorum contagio, exterminandos duxit, hos in ipsos haereticos, eorumque errores decernens anathematismos*: tum vero immediate sequuntur canones de matrimonio; inter quos priorem locum obtinet ille, in quo matrimonium esse unum ex septem novae legis sacramentis definiunt eadem prorsus ratione, qua canonibus iiI. et iiiI. decernunt Ecclesiae potestatem constituendi dirimentia matrimonium impedimenta; nimirum anathema infligentes in eos, qui oppositam doctrinam pronuntiassent. Itaque tam error est negare matrimonio novae legis sacramenti naturam, quod canone primo definiunt, tam asserere chistianis licitas plures simul uxores, quod altero canone negant Tridentini Patres; quam denegare Ecclesiae potestatem constituendi dirimentia matrimonium impedimenta plura, quam sint in Levitico expressa; quod sub eodem anathematismo affirmant Patres canonibus iiI. et iiiI. Itaque et hi canones, non actionem iubentes, sed doctrinam declarantes, agnoscendi sunt dogmatici, sicuti superiores, doctrinam de matrimonio tradentes.

III.

Quamobrem iudicium illud, quod nobis permissum est de canonum natura, hoc unice spectat ut videamus, an canon sit de actione aliqua facienda aut ommittenda, an vero de retinenda aliqua doctrina; quae distinctio, ut superius diximus, canones commonstrat primi generis ad disciplinam pertinentes, alios vero secundi generis ad dogma spectantes. Si vero nomine obiecti, finis, naturae, indolis quae in

 ca-

canonibus consideranda sint, ut constet an sint dogmatici, si illis inquam nominibus aliquid aliud praeterea velint in iisdem canonibus considerandum, ut dogmaticos fateantur, videant ne in crassum haereticorum incidant errorem, de quo paullo infra dicemus.

I V.

Nam antea perpendamus oportet vim Nestiani argumenti. Inquirendum, inquit ipse, *an de re quae ad fidem pertineat agatur* in canone, ut intelligamus utrum dogmaticus sit. *Quum* ergo, prosequitur, *Tridentinorum, de quibus sermo est, canonum materia nullum prae se fidei dogma ferat, perspicuum est, eiusmodi canones ad disciplinam dumtaxat pertinere*. Quaestionem ita definitam arbitratur NESTIUS, ut nullum aliud adiecerit argumentum. Verum quod ab ipso institutum est, flagito, ut eo ingenio perpendat, quo aliorum solet argumenta. Intelliget sane, se rem affirmasse, sed demonstrationis desiderium nobis reliquisse. Asserit nempe rem, de qua agitur in duobus illis Tridentinis canonibus, non esse eius naturae, ut ad fidem pertineat. Qua ratione id probat? Tridentinorum, inquit, canonum materia nullum prae se fidei dogma fert. Demonstrationem adhuc exoptamus. Quare ne aerem, ut in proverbio est verberemus, nolumus sane coniecturis, quae forsan omnino non essent inanes, NESTII mentem investigare. Itaque tantummodo id generatim statuimus, quod hac in re statuendum est; nimirum illud ad fidei dogma pertinere, quod credendum ab oecumenico Concilio nobis proponitur, inflicto in repugnantes anathemate. Non assero hoc solum esse fidei dogma, sed hoc certe esse. Concilia vero aliquid declarantes definiunt tamquam dogma fidei, quod continetur in verbo Dei scripto vel tra-

tradito, atque hinc illud consequens necessario est, definitum fidei dogma in alterutro verbo Dei contineri. Hoc est obiectum, haec est natura et indoles rerum fidei. Patres definientes dogma fidei agnoscunt ex instinctu Divinitatis id contineri in verbo Dei aut scripto aut tradito; ergo etiamsi nobis id minime esset perspicuum et exploratum, certum tamen ea certitudine est, quae in nullam prorsus dubitationem a catholico viro trahi potest; neque enim nos infallibiles sumus Scripturarum ac Traditionis iudices. Quamobrem in eruditionis argumentum tantummodo proponam NESTIO, quod proponit ESPENIUS, quem ille semper *honoris caussa* nominat, nimirum GERBESII opus, in quo auctor, ESPENIO teste, *plura antiquitatis testimonia et exempla, quae Ecclesiae potestatem ponendi impedimenta matrimonii evincunt, per omnia saecula deducit; ostenditque hanc auctoritatem . . . accepisse Ecclesiam . . . a Christo*. Addam quod ESPENIUS ipse ait: *Igitur filum traditionis insequuta Synodus Tridentina recte dixit anathema in eum, qui dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta dirimentia*.

V.

Si ulterius progredi velit NESTIUS, videat ne in errorem incidat, in quem incautus incidit LAUNOIUS, forte ab apostata MARCO DE DOMINIS deceptus, et in quem scientes volentesque incidere haeretici omnes, ac praesertim Novatores. Postquam LAUNOIUS iisdem fere ac NESTIUS, verbis superiorem proposuit difficultatem, argumentum deinde ita persequitur, ut ex VINCENTIO LIRINENSI, TERTULLIANO, IRENAEO et HILARIO probet, id non esse censendum fidei dogma, quod in Scripturis atque in universali Patrum Traditione minime contineatur; ex quo demum in hac quae-

quaestione de Ecclesiae potestate constituendi dirimentia coniugiorum impedimenta, audax ita concludit: Patres mox commemorati haereseos originem esse tradunt, *quum Scripturae bonae non bene, sed perperam explicantur. Didicissent igitur, qua ratione dogma fidei constituitur, si novissent, quod dialectici non ignorant, contrariorum contrariam esse consequentiam. Quae tandem Scriptura de humanis legibus matrimonium dirimentibus non bene intelligitur, aut contra unanimem consensum Patrum exponitur?* En LAUNOIUM, quem eius patroni habent ut virum sanctissimum, qui tamen incautus Ecclesiae *leges* LUTHERANA formula *humanas* vocat, quique parum sibi conscius negat, Tridentinos Patres ullo fundamento innixos statuisse legem de Ecclesiastica potestate constituendi dirimentia matrimonium impedimenta. In hos impingit errores maximos, qui vehementi aliquo studio abreptus, ut fuit certe LAUNOIUS, pessimae causae patronum se praebuit.

V I.

Hoc LAUNOII erratum observavit iam LEULLIERIUS, qui forsan TAMBURINIUM AC NESTIUM latuit. Pauca ex eo delibare, paucisque eadem illustrare oportet. Itaque, qui affirmat Tridentini Concilii canones dogmaticos nec Scripturae, nec Traditioni conformes, idem de omnibus aut saltem de pluribus aliis Oecumenicorum Conciliorum decretis huiusmodi poterit affirmare. Sic etiam censeat necesse est, qui antequam assensum praebeat dogmaticis Conciliorum definitionibus, existimat debere investigare, an definitiones illae Scripturis ac Traditioni sint consentaneae; nimirum ante huiusmodi assensum licebit inquirere, an materia canonis dogmatici ad dogma pertineat, an ubique et ab omni-

nibus semper in Ecclesia idem existimatum fuerit. Quid ergo erit, quod tanquam fidei dogma sit retinendum? Quo evadent Conciliorum definitiones, quo Ecclesiae auctoritas? Ubi vero dogmatum iudex? Quisque nimirum privatus erit index controversiarum fidei; atque ita haeretici omnes, qui ex Scripturis et Traditione per summam audaciam suos errores commendarunt, eadem ratione ac LAUNOIUS clamare poterunt: *Quae tandem Scriptura... non bene intelligitur, aut contra unanimem consensum Patrum exponitur?* Itaque eadem est LAUNOII ac Spalatensis apostatae sententia; aiebat enim: vera et indubitata Traditio est illa, quae ubique apud omnes et semper viguit, et pro vere Apostolica recepta et conservata fuerit. Hinc vero ita blasphemabat impius vir: *hinc est, quod attestatio praesentis etiam universalis Ecclesiae tuta non sit, neque pro regula fidei habenda, nisi constet id dogmatis, quod nunc tota Ecclesia profitetur, et firma fide tenet, fuisse ubique, apud omnes et semper ita in tota Ecclesia traditum, habitum et firma fide creditum.* Glorientur ergo Launoiani de tam egregiis antecessoribus; seu potius ingenium ac studia partium cohibeant, ne tandem in foveas, quas ante non noverant, se miserrime incidisse lugeant.

VII.

Haec pericula se declinasse TAMBURINIUS ac NESTIUS silentio commonstrarunt; neque enim postremam Launoianam rationem in medium protulerunt. Quinimo deinde fassi sunt, dogmatis aliquid contineri in Tridentinis canonibus, sed quod Ecclesiae potestatem in iisdem spectat, dogma non esse contendunt. En utriusque sententiam NESTII unius verbis expositam (Cap. VIII. p. 75.): *Ut sinceram huiusmodi canonum vim, rationemque assequamur, prae-*

praecipuum illum, quo iis sanciendis Tridentini Patres spectarunt, finem investigemus oportet. Ipsa scilicet Synodus teterrimum Lutheranorum errorem, qui nullis hominum legibus dirimentia constitui posse matrimonium impedimenta, eaque solum, quae in Levitico exprimuntur, retinenda esse contendenbant, potissimum damnavit, atque convellit. Coniunctio, *aiebat* LUTHERUS, viri et mulieris tenet quocumque modo contra leges hominum contigerit. *Ex quo principio certum quoddam veluti consectamur colligebat:* debere sacerdotes ea omnia matrimonia confirmare, quae contra Ecclesiasticas vel Pontificias leges fuerunt contracta, in quibus Papa dispensat, et quae non sunt in sacra Scripturâ expressa. *In eo igitur tota fuit Tridentina Synodus, ut LUTHERI commentum, quo nullum humanae potestati in matrimonium ius tribuebatur, hisce editis canonibus omnino labefactaret.* Hoc igitur unum *ad dogma pertinere dicendum est, quad nempe praecipuum veluti sibi finem proposuit Synodus. Nusquam ibi disputatum est, instituta de civili atque Ecclesiastico iure contentione. Quum igitur Tridentinis cautum Patribus fuit,* Ecclesiam potuisse ac posse *constituere impedimenta matrimonium dirimentia, id praeter propositum sibi finem adiectum ab iis est, proindeque a catholico fidei dogmate abhorrere nemo non sentit. Quidquid enim a proposito, veraeque definitionis ratione alienum adiungitur, in catholicum fidei dogma nequit evadere. Sic quum proposita NICOLAO I. a Bulgaris fuisset quaestio, ut refert CANUS, an baptizatus a Pagano vel Iudaeo verum Baptismi Sacramentum suscepisset, responsum insuper ab eo fuit, etiam Baptismum in CHRISTI nomine collatum valere. Quamobrem communi doctorum suffragio receptum est, id omne ad Pontifi-*

ciam

ciam definitionem non pertinere, quum Pontifex, de suo, non interrogatus, atque in transcursu, ac per transennam illud adiiciens, a proposita sibi quaestionê aberraverit. Hinc et quoad rem nostram attinet, illud unice retinendum est, quod Tridentino propositum Concilio fuit, civilem nempe nuptiarum pactionem humanae subiacere potestati ita ut dirimentibus ab ea coerceri legibus possit; quod quidem impius novator ille anathemate ideo perculsus perfracte negabat. Ex quo patet, nomen illud Ecclesiae sacris hisce obiter insertum canonibus, accessorium esse proposito illi, quem Tridentini Patres ob oculos potissimum habuerunt, fini Lutheranorum nempe damnandi commentum, qui, ut superius diximus, nullis matrimonium obnoxium fuisse legibus effutiebant. Quoniam vero perspectum exploratumque est, principale, non accessorium retinendum esse, illudque non hoc ad dogmaticam definitionem pertinere, sequitur ut huiusmodi nomen Ecclesiae veluti accessorium, nullo habendum in pretio sit, solumque principale, quo Tridentinum Concilium cum primis spectavit tenendum omnino sit, atque ad dogma pertineat. Haec NESTIUS cum TAMBURINIO.

VIII.

Atque hi quidem si Tridentino interfuissent Concilio, securius certe de vera sacrorum Patrum mente loqui non possent. At vereor magnopere ne eosdem Scriptores poeniteat, hanc tam absurdam protulisse Tridentinorum canonum interpretationem. Permittamus nunc TAMBURINIO ac NESTIO, verba LUTHERI in eius operibus ita composita, ut eadem nobis exhibent. Lutheranorum sit in recitatis verbis error ille dumtaxat, quem NESTIUS ac TAMBURINIUS ex iisdem eliciunt. Num ergo alius non fuit haereticorum error, quem convellere anathe-

themate non debuerint Tridentini Patres? At in haereticorum scriptis, reponent ut arbitror, non apparet alia eorum opinio, quae respondeat omnibus Tridentinorum canonum partibus. Verum utinam potius accurate legissent Concilii prologum iis canonibus immediate praepositum. In illo autem num Synodus scriptos dumtaxat impiorum hominum errores pollicetur se in canonibus damnaturam? Quinimo etiam, quae scriptis commendatae non erant impiae haereticorum opiniones. Inquiunt enim Patres, quod haeretici *more suo .... multa ab Ecclesiae Catholicae sensu ... aliena scripto et verbo asseruerint*, ac propterea *et ipsos haereticos, eorumque errores anathematismis* duxit *exterminandos*. Ergone scriptos tantummodo? Affirmare ne quisquam audebit, nullum alium tunc fuisse in hac re errorem, praeter illum, quem ex LUTHERI verbis delicatissime decerpserunt NESTIUS et TAMBURINIUS? Si ergo aequa mente iudicare quis velit de Tridentinorum Patrum definitionibus, profecto ex antea observatis, illud recta suadente ratione colliget, supponi ex iis canonibus, imo declarari, quod aliqui saltem impiorum hominum, quos damnant inflictis anathematismis, in eo etiam fuisse errore, ut intimam Ecclesiae potestatem constituendi dirimentia coniugiorum impedimenta aut scripto aut verbo per summam iniuriam eriperent. An eruditi alicuius classici auctoris interpretes eum ita essent interpretati, sicuti TAMBURINIUS et NESTIUS canones illos ab universae Ecclesiae Episcopis in Spiritu S. congregatis conditos? Num hac ratione interpretarentur ipsi summorum Principum decreta? Non aiunt, aliquid inesse iis canonibus inutile doctis viris, additum tamen a Patribus ad maiorem quamdam pro indoctis illustrationem: non aiunt,

eos-

eosdem Patres errasse in re historica, sed omnino in re theoretica. Nullam enim agnoscunt in Ecclesia potestatem quoad dirimentia matrimonium impedimenta; ac proinde quod accessorium Tridentinis canonibus appellant, id falsum omnino traducunt. Itane Catholicis integrum est interpretari, seu potius in interitum coniicere oecumenici Concilii theoreticos canones?

§. IX.

At saepenumero confirmatur exemplis vulgare illud adagium: quandoque dormitat HOMERUS; quod multo sane facilius iis contingit, qui vel inscientes contra veritatem pugnant, quique proptetea haud raro, quam sub oculis habent, veritatis lucem minime intuentur. Nimirum duobus illis Tridentinis canonibus damnari LUTHERI errorem a NESTIO et TAMBURINIO propositum, nihilque amplius in iisdem contineri perspicuum adeo compertumque est, ut mirum profecto sit quammaxime id non vidisse scriptores illos ingenio praestantes. Aiebat LUTHERUS, *debere Sacerdotes ea omnia matrimonia confirmare, quae contra Ecclesiasticas vel Pontificias leges fuerunt contracta, in quibus Papa dispensat, et quae non sunt in sacra Scriptura expressa*. Ergo negabat LUTHERUS validas esse Ecclesiasticas illas ac Pontificias leges; negabat propterea Ecclesiam habere earumdem condendarum legum potestatem quoad ea, quae in sacra Scriptura expressa non sunt, ex hoc ipso nimirum, quod Pontificia et Ecclesiastica impedimenta non habentur in sacra Scriptura expressa. Quaero autem, quinam sint errores anathemate in Concilio damnati? Consule Tridentinos canones a nobis superius Cap. I. §. II. recitatos; atque intelliges in iisdem damari prorsus LUTHERI errores mox expositos, in-

intelliges ex iisdem, Ecclesiam posse alia constituere impedimenta praeter illa, quae in sacra Scriptura continentur, Ecclesiam potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, ac demum in iis constituendis minime erasse. Errores igitur, quos hisce canonibus damnarunt Tridentini Patres, iidem prorsus sunt ac illi, quos cum gravissimo Ecclesiae Catholicae detrimento evulgaverat LUTHERUS. Miror vehementer, haec non vidisse NESTIUM ac TAMBURINIUM viros acutissimos. Pars illa Tridentinorum canonum, in quibus definitur Ecclesiae potestas in dirimentia impedimenta, pars illa inquam accessoria sit, sed accessoria quoque est in eorum sententia, altera LUTHERI assertio: accessorius error accessorio canone damnatur. Atque haec dicta sint, posita illa Lutheranorum verborum compositione, quam forte ex LAUNOIO tantum deprompsere TAMBURINIUS ac NESTIUS.

X.

At omnes norunt, scriptorum quorumlibet textus in eorumdem operibus, non in alienis consulendos esse. Quamvis ergo causa iam definita sit, attamen ut accuratiores simus, LUTHERI verba iterum recitemus, ut in eius iacent libello de captivitate Babylonica. *Dico* scribit ille ... *monens et rogans omnes Sacerdotes et fratres, si viderint aliquod impedimentum, in quo Papa potest dispensare, et quod non est in Scriptura expressum, ut ea matrimonia confirment, quae contra Ecclesiasticas tyrannicas vel Pontificias leges fuerunt contracta .... coniunctio enim viri et mulieris est iuris divini, quae tenet quocumque modo contra leges hominum contigerit; debentque leges hominum ei cedere sine ullo scrupulo etc.* In his ergo illud est principium, sive primaria Lutheri opinio, quam Launoiani triumviri con-

consequutionem faciunt, ac vicissim. Itaque potissimus LUTHERI error est, quod omnes Sacerdotes et fratres confirmare debeant matrimonia contra Ecclesiasticas Pontificiasque leges inita; hoc vero probat ex eo, quod impedimenta Ecclesiastica et Pontificia non sunt in sacra Scriptura expressa, quodque lex divina humanae praeponenda est, lex autem divina ex LUTHERI mente valida facit quaecumque matrimonia, quae non habeant impedimenta in Scripturis ipsis divinis expressa. Habemus ergo primarium LUTHERI errorem, erroneamque ipsius ex Scriptura sacra probationem. Fundamentum Lutherani erroris est, admittenda tantummodo esse impedimenta matrimonii in scriptura expressa, ex quo deducebat veluti necessarium consequens, ac veluti identicam propositionem, admittenda nimirum non esse impedimenta ab Ecclesia et Pontificibus statuta. Utrumque vero expresse damnat Tridentina Synodus.

XI.

Fateor equidem, ex probatione a LUTHERO allata consequi etiam inutilia esse impedimenta matrimonio adiecta a civili potestate. Neque tamen inde colligendum est, hunc etiam errorem illationis damnandum tunc fuisse a Tridentinis Patribus; hunc enim noverant a LUTHERO fuisse revocatum. Primarius autem LUTHERI error, ut ex recitatis eius verbis perspicue constat, erat, confirmanda esse matrimonia contra leges Ecclesiasticas et Pontificas a Christianis contracta, eo quod impedimenta ab Ecclesia et Pontificibus statuta non reperirantur in sacris litteris. De Principum legibus ille ne verbum quidem habuit, quem habere debuisset, si de eorum legibus loqui voluisset; probatum namque demonstratumque superius a nobis est Cap. II. §. V. et seqq.

leges hominum appellari a LUTHERO leges illas Ecclesiasticas et Pontificias, ut easdem opponat legibus divinis, quod ipse expresse facit; demonstratum etiam ibidem §. viII. est ex LUTHERO suiipsius interprete, eum expresse in hac re exceptas voluisse Principum leges. Tridentinis ergo Patribus id definiendum erat dumtaxat, quod negabatur a LUTHERO, nempe Ecclesiam habuisse atque habere potestatem alia constituendi dirimentia coniugiorum impedimenta praeter illa, quae in Levitico expressa sunt. Quod in afferendis suarum opinionum rationibus sibi contradixerit LUTHERUS, quid mirum? Expresse ipse asserebat, se in generali propositione non comprehendere nec damnare Principum de hac re leges; ergo licet ex principiis antea ab eo positis sibi minime consentiret, de eius tamen voluntate ac mente relate ad Principum leges constabat iam satis, illum eisdem minime repugnasse. Quod quidem vaferrimus Heresiarcha ex aliis potuisset principiis probare, simulque ostendere, se sibi minime repugnantem. Supererat certus error quoad Ecclesiasticas; hunc damnarunt Tridentini Patres; nec aliud praeterea est in binis illis canonibus. Itaque quaecumque in iisdem continentur, dogmaticam constituunt doctrinam, cui scienter repugnare nefas, sacrilegum, et impium est.

XII.

Ne quid vero glorientur adversarii a nobis praetermissum, quod ipsi obiecerint, perpendamus eorum interpretationis vel fundamentum, vel saltem exemplum ex NICOLAI I. responsione ad Bulgaros mutuatum. Argumentum quodcumque illud sit, paritatis certe est. Comparatio autem etsi instituenda iure non sit quoad omnes circumstantias rerum, quae invicem conferuntur, facienda tamen certe est quo-

quoad eas, in quibus praecipua est comparationis ipsius caussa. Hoc instituto iudicio nimium sane claudicat proposita comparatio, ut prorsus tandem miserrime corruat. NICOLAUS I. interrogatus a Bulgaris non fuerat de valore Baptismi collati in solo CHRISTI nomine, ac propterea nulla erat caussa, quae responsionem ab ipso flagitaret. Ast Tridentinis Patribus, ut demonstratum pluribus iam est, maxima aderat caussa, propter quam respondendum LUTHERO esset, atque adversus eiusdem errores scriptis expositos sententiam ferrent. Ergo iam ita claudicat atque corruit instituta a claris viris comparatio, ut nulla alia opus esset responsione. Sed liberaliter agamus. Romanae, ut ipsi aiunt, curiae defensores infallibilitatem concedunt Romano Pontifici, non quaecumque, et qualibet ratione Fidelibus respondenti, sed tunc tantummodo, quum doctrinam aliquam ab universa Ecclesia retinendam supremo iudicio, seu ut aiunt ex cathedra definit atque pronuntiat. Hos certe characteres non agnoscunt Romani Theologi ac iuris Pontificii periti in responsione NICOLAI I. ad Bulgaros; sed potius non levem caussam habent subspicandi de aliqua eius litterarum corruptione. Oecumenica vero Concilia in theoreticis canonibus, qui praesertim anathematismos habent coniunctos, infallibilis auctoritatis esse fatentur. Ergo quae iam corruerat adversariorum comparatio, ex hoc etiam potissimo discrimine interit omnino, ac suo conditur sepulcro. Huic (quoniam NESTIUS delectatur veterum inscriptionum formulis) inscriptus imponatur lapis, qui profanum locum definiat IN FRONTE PEDES MILLE IN AGRO PEDES MILLE. Sed alii in posterum etiam excitandi erunt lapides, qui ab iniucundo difficultatum adspectu immunes prorsus nos reddat.

XIII.

Alii denique audiendi sunt, qui aiunt, in matrimonii Sacramento distinguendum esse id, quod pertinet ad eius essentiam, ab eo quod est tantummodo eidem Sacramento accessorium; sicuti etiam quod a CHRITO DEO institutum est, ab eo quod hanc non habet originem. Quod Sacramento essentiale est, quodque CHRISTI obtinet institutionem, hoc certe est immutabile; quod vero postmodum ab Ecclesia inductum est, sicuti matrimonii impedimenta, quae ab eadem constituta sunt, eorum inspecta natura hoc pertinet ad classem legum, quae dicuntur disciplinae Ecclesiasticae leges. Quare Tridentini canones de constitutis matrimonii impedimentis non ad dogma, sed ad disciplinam tantummodo spectare dignoscuntur. Sic arguit anonymus auctor.

XIV.

Addere argumento vim poterat ex eo etiam, quod ab impedimentis huiusmodi concedantur dispensationes; quod quidem demonstrare videtur dumtaxat disciplinam, non autem dogma, a quo nemo unquam legitimam dispensationem obtinet. Ita ratiocinari licet iis, qui gloriantur se acuto ingenio praeditos, ignorant autem, se nescire praecipua fundamenta, quibus inniti oportet rectas hisce de rebus ratiocinationes. Itaque, si quid virium in hoc argumento esset, necesse foret omnia ad disciplinam referre dogmata, quae Ecclesia ex Traditione definiit; quod si haec in dogmatum ordine retinenda sunt, cur ab eo evellendum erit dogma de potestate Ecclesiae in dirimentia matrimonium impedimenta? Primum est absurdum; ergo alterum erit admittendnm. Sed loquamur ea, quae nostris obtrectatoribus clariora videantur. Distinguendum videlicet magnopere est inter Ecclesiae potestatem decla-

clarandi dogmata, et inter materiam ipsorum dogmatum. Est enim Catholicum dogma, pertinere ad Ecclesiam potestatem definiendi, quae ad disciplinam spectant; quamvis deinde haec ipsa ad disciplinam spectantia possint esse mutationibus obnoxia. Sicut enim in civili Repub. est potestas immutandi pro variis temporum circumstantiis leges, ut in ipsa harum mutatione immutabile perseveret commune societatis bonum; ita in Ecclesiastica omnino. Itaque Tridentini canones, de quibus est concertatio, sunt de potestate certa Ecclesiae statuendi impedimenta matrimonium dirimentia. Dogma est igitur, esse in Ecclesiastica Hierarchia hanc in ea impedimenta potestatem. Sed quoniam potestas haec fertur in ea, quae mutationi subicii possunt; propterea ut immobile semper consistat Ecclesiasticae Reipub. bonum, mutatis aliquibus hominum circumstantiis, potest Ecclesia mutationem in ipsa impedimenta vel generatim, vel singillatim inducere. Materia ergo legum huiusmodi etiamsi ad disciplinam pertineat; potestas tamen huius instituendae disciplinae ad dogma spectat in Tridentinis canonibus declaratum definitumque.

X V.

Denique oportet, ut LITTAM etiam audiamus, qui a TAMBURINIO *de Matrimon.* §. LXXXXIII. appellatur *maximi ingenii vir*, quique librum edidisse dicitur praeditum *animadversionibus plenis succi ac roboris*. Ille ergo fassus est, a Tridentino Concilio definitum, quod diximus, fidei dogma; sed forte suis animadversionibus plenis succi ac roboris defatigatus, addidit (pag. 9.) illud admittendum esse dogma, si evidens sit, in canone Tridentino definiri ius, non autem sermonem esse de facto aliquo. Ita hoc saeculo splendidissimo et conceditur, quod negari nullo

modo potest, ac deinde adhibito quodam sale in speciem Attico destruitur id, quod antea fuerat aedificatum. Sed qua libertate, seu qua audacia unicum commemorat LITTA Tridentinum canonem? Duo nimirum sunt Tridentini canones sess. xxiiI, n. iiI. et iiiI., in quorum altero anathema dicitur in eos, qui asseruerint, Ecclesiam non posse constituere impedimenta plura iis, quae sunt in Levitico expressa; in altero autem anathematis pariter poena decernitur, in eos qui dixerint, Ecclesiam non potuisse instituere impedimenta matrimonium dirimentia, aut in iis constituendis errasse. En tres Concilii definitiones, quarum duae, inquit auctor libelli inscripti, *Lettera dell' Ab.* N. N. *intorno il libro del Sig. Can.* LITTA etc., sunt iuris, altera facti: *Ecclesiam* videlicet *potuisse*, *Ecclesiam posse*, sunt evidentes iuris definitiones, *Ecclesiam non errasse*, est facti definitio. Si hoc Launoiani concedant, dubitandum sane non est, quin saltem formula *Ecclesiam posse*, sit definitio iuris; forte enim dicent, ad definitionem facti pertinere aliam hanc formulam, *Ecclesiam potuisse*. At si recte sentio, tres illae Concilii definitiones ad ius pertinent. Facti enim definitio est, aliquid factum fuisse; ast aliquid recte factum fuisse, est definitio iuris. Porro quum Synodus definiit Ecclesiam non errasse, idem est ac dixerit, Ecclesiam recte fecisse; recte definiisse; qui enim non errat, recte definit; ergo et formula, *Ecclesiam non errasse*, continet iuris definitionem. Quod si quilibet vir maximi ingenii, maiorem exoptat in definitionibus lucem, arbitror se ubique tenebras reperturum, qui meridiani luminis radios minime persensit.

CAPUT IV.

Affertur responsio argumentis, quibus probare nituntur, definitum a Tridentino Concilio fuisse, Ecclesiam posse dumtaxat ex Principum consensu constituere impedimenta matrimonium dirimentia.

I.

Tum ex verbis, quibus Tridentini continentur canones, tum vero etiam ex Lutheranae haereseos natura superius Cap. I. §. vI. et seq. demonstratum a nobis est, eosdem canones intelligendos omnino esse de propria Ecclesiasticae Hierarchiae potestate in dirimentia connubiorum impedimenta. Verumtamen demonstrationem illam vindicare nunc oportet ab obtrectatorum argumentis adeo, ut nulla remaneat in re tanti momenti vel minima prorsus difficultas. *Ergo alii*, inquit, TAMBURINIUS §. LXXXXVII. *concedunt Tridentinos canones ex ea parte esse dogmaticos, qua ius decernitur Ecclesiae in constituendis impedimentis, sed hoc nihil obesse aiunt sententiae, quam exposuimus. Scilicet, ut animadvertit VAN ESPENIUS, definivit Synodus Ecclesiam potuisse ac posse impedimenta huiusmodi constituere, sed an id potuerit ac possit iure sibi proprio vel alieno et adscititio ipsa non declaravit. Quamobrem ita explicant Tridentinos canones*, prosequitur idem TAMBURINIUS, *ut sancitum fuerit adversus haereticos Ecclesiam non inique et illegitime, ut illi dicebant, sed legitime potuisse impedimenta statuere. Nam ut saepe monuimus, omnia impedimenta humanis legibus posita, inique ac tyrannice posita fuisse effutiebat LUTHERUS, quum*

id putaret esse solius iuris divini . Porro quamvis Ecclesia in constituendis impedimentis non iure proprio sed alieno usa fuerit , quum tamen id fecerit Principum indulgentia tacita vel expressa , non inique hanc provinciam sibi arrogavit , sed iuste ac legitime . Quare potuit , et quamdiu in ipsa manet facultas haec a civili potestate in ipsam translata , vere potest condere leges dirimentes : hinc et recte potuit definire , se potuisse ac posse constituere impedimenta praeter illa in Levitico expressa , quaeque ut pote addita divinae legi , removeri novatores volebant , tamquam tyrrannice introducta , vel adoptata ab Ecclesia . Ex quibus intelligitur , Tridentinis canonibus suam constare veritatem , quin definitum sit , quod ad rem non faciebat , an Ecclesia id potuerit facere iure proprio , vel in ipsam translato . Quae historice dixit TAMBURINIUS , eadem omnino mutatis tantum verbis , non ommissis aut mutatis animadversionibus , ex propria sententia protulit etiam NESTIUS semper TAMBURINIO consentiens .

II.

TAMBURINIUS praeterea , quod non omnino fecit NESTIUS , interpretationem illam non historici , sed iurisperiti in morem exemplis confirmatam exhibet . *Hoc iure* , inquit §. LXXXXIII. *uti voluit Synodus in decreto condendo de matrimoniis clandestinis , tum quia iam Principes illius exercitium Ecclesiae concesserant , tum quia Synodo intererant Regum ac Principum Oratores , cum quibus res agebantur , quae maxime ad disciplinam spectabant , eiusque capita saltem maioris partis assensu sanciebantur . Nihil igitur obsunt decreta in hac re edita a Tridentino regiae in matrimonium potestati ; sicuti nihil obsunt summo imperantium iuri in cives ac bo-*

na

na temporalia leges ab Ecclesia conditae circa immunitates clericorum ac bonorum Ecclesiae a publicis Reipub. oneribus. Has enim leges Ecclesia tulit eorum, ad quos pertinebat, concessione tacita vel expressa. Quo factum est, ut id Ecclesia exequeretur absque laesione regiae potestatis, ac iuste et legitime id faceret, quamdiu Principes, qui nunquam iuribus sibi propriis spoliari possunt, eam sibi facultatem non revocent, vel contrariis legibus aliter non decernant. Hac ratione componitur canonum Tridentini veritas cum ea, quam ex Dei instituto habent Principes in matrimonium, potestate. Ita TAMBURINIUS.

III.

Si haec admittenda est tamquam vera Tridentinorum Canonum interpretatio; cur antea Ecclesiae nomen in iisdem contentum ad Principes transtulit cum LAUNOIO, cur postea cum eodem atque cum NESTIO eosdem dogmaticos non esse narravit? Prospicio equidem, qua ratione haec conciliari simul posse contendent. Ast videat NESTIUS ne acutissimi curiae sectatores, absit verbo invidia, socium se et amicum optimum adeptos glorientur. Sed amoto quaeramus seria ludo. TAMBURINIUS, ac NESTIUS arbitrantur primo dubitationi locum esse, utrum Tridentini Patres definierint, posse Ecclesiam impedimenta illa constituere auctoritate propria an aliena; deinde vero certum habent, postremam hanc admittendam esse illorum canonum interpretationem. Cur? Quod nempe non definierit Ecclesia se id posse iure sibi proprio, sed tantummodo dixerit se *posse*, ac *potuisse*, quod ESPENIUS eam de Tridentinorum canonum sensu dubitationem iniecerit, quod ea interpretatio Tridentini scopo minime repugnet. Perbelle sane; quasi teneantur sacri

cri alicuius Concilii oecumenici Patres declarare, ex Ecclesiastica tantum auctoritate agere se in Concilio ad res Ecclesiasticas definiendas coacto; vel quasi sine iusta reprehensione silere potuerint Patres civilem auctoritatem, si ex ea aliquid in Synodo definissent, aut quasi solius ESPENII ad dubitationem illam inducendam sufficeret auctoritas. Haec singillatim ac diligenter perpendamus.

I. V

Superius iam demonstravimus Cap. I. §. vI. et seq. in Tridentinis canonibus definitam esse propriam Ecclesiasticae Hierarchiae potestatem constituendi dirimentia matrimonium impedimenta. Ostendimus praeterea, nullam excitatam de hac re in Concilio disputationem fuisse. Sed finge aliquam saltem de hoc iure tunc iniectam fuisse dubitationem. Quaelibet enim tentanda est hypothesis, ut responsio vim habeat validiorem. Ast in hac hypothesi canones illi non absolute condi debuissent, sed addita conditione, quae illius potestatis commonstraret originem. Nam, ut initio dictum a nobis est, Ecclesia in Conciliis sua utitur ad res Ecclesiasticas definiendas auctoritate; ac proinde ne ipsa veritatis magistra, et iurium, quae Principes obtinent, servatrix accuratissima, videretur sibi arripere id quod suum non esset, certe eo loco indicasset fontes, ex quibus canones illos quasi hauriebat. Si id non fecisset, non ne in iustam, sibique maximopere probrosam incidisset reprehensionem? Adde etiam, Ecclesiae consuetudinem esse, quae vetustis orta dici debet temporibus, ut si inferiores Praelati negotium aliquod expediant non ex auctoritate, quae eorum muneri sit propria, quam ordinariam dicunt, sed facultate a superiore aliquo, seu a quocumque alio accepta, id in ipso expediendo negotio solemni-

bus

bus verborum formulis significare soleant. Obliti ergo Episcopi omnes huiusce Ecclesiasticae legis et consuetudinis in Tridentino Concilio? In eo nempe Concilio, in quo millies permutata sunt canonum verba, ne quid esset quod rectae repugnaret rationi. Praeterea Principum honori parum profecto consulit nova illa interpretatio. Ex ea enim sequeretur, Principes habuisse apud Tridentinam Synodum Legatos atque Oratores adeo plumbeos, ut permiserint condi in eadem canones, ex quibus vel erepta esset eorumdem Principium primigenia auctoritas, aut saltem in maximum discrimen vocata. Alterutrum ex iis, quae antea observata sunt, necessario sequeretur. At qui historiam noverit Tridentini Concilii, quique animadverterit, quanto studio Regum ac Principum Oratores iustam rectamque servaverint eorum auctoritatem, fatebitur sane, nunquam permissuros fuisse Legatos Principum, ne vel imminueretur ex Tridentinis canonibus, vel in discrimen adduceretur certa suorum Principum auctoritas. Quum ergo nulla prorsus hac de re excitata tunc fuerit ab illis quaerela ob canones illos iis verbis conceptos, quibus absoluta, non aliunde mutuata asseritur Ecclesiae auctoritas; argumento id potius est, hanc alteram, quam finximus hypothesim omnino reiiciendam.

V.

Hanc vero atque superiorem pariter hypothesim esse fabellis amandandam demonstrat etiam id quod Tridentino propositum Concilio fuit in condendis canonibus, de quibus instituitur a nobis sermo. Nempe huic Concilio propositum erat convellere LUTHERI errorem, quo negabat Ecclesiae potestatem constituendi dirimentia matrimonium impedimenta, ut superius ostendimus. Porro LUTHERUS

RUS affirmabat, irritas esse leges Ecclesiasticas et Pontificias matrimonia irritantes: has per contemptum nuncupavit *leges hominum*, *leges humanas*; et quoniam aliquibus ambigua visa est haec legum humanarum appellatio, LUTHERUS ipse asseruit, se ab humanis legibus, hac etiam in re excipere leges civiles; distinxit ergo inter naturam legum Ecclesiasticarum, legumque civilium. Qui vero hanc ponit distinctionem, perinde est ac distinguat inter potestatem Ecclesiasticam et civilem. LUTHERUS ergo leges Ecclesiasticas et Pontificias appellabat eas, quae ex potestate Ecclesiastica et Pontificia apud nos manabant. Sed leges easdem irritas nuncupabat, utpote contra divinum ius, ut ipse impius asserebat, conditas; ergo negabat Ecclesiae eam potestatem, quam Catholici insitam ac propriam eidem Ecclesiae agnoscebant. Itaque Tridentini Patres non damnassent Lutheranam hanc haeresim, nisi iis canonibus affirmassent propriam Ecclesiae potestatem condendi impedimenta matrimonium dirimentia. Ergo Concilii Tridentini scopus minime sinit, ut TAMBURINII et NESTII exquisitam eorum canonum interpretationem veneremur.

VI.

Vellem autem magnopere, ut animadverteret NESTIUS, se hac interpretatione multo maiorem modestiam in LUTHERO impudentissimo haereticorum principe, quam in se ipso commendare. Haeres? Demonstro. LUTHERUS improbabat, blasphemabatque Ecclesiasticas, verebatur vero civiles de matrimonio leges. Ergo si agnovisset ipse, Ecclesiam condidisse illas leges non ex propria, sed ex concessa eidem Principum auctoritate, num timuisset exprobare Ecclesiae ipsi pessimum alienae auctoritatis exercitium, num puduisset ipsum rogare Prin-

ci-

cipes, ut concessam Ecclesiae auctoritatem, tamquam a tyrranica matre Ecclesia eriperet? Num haec, aliaque plura, quibus abundat LUTHERI lexicon, verecundus siluisset? Siluit tamen, concessa NESTIO, quàm ipse vult, hypothesi: verecundissimus ergo fuit LUTHERUS. Silerem et ego, nisi ex meo silentio maius crimini pondus forte accederet. NESTIUS, silente LUTHERO, haud semel in suo libello singulari Principes hortatur et monet, ut Ecclesiae concessam, quemadmodum ipse supponit, ab iisdem Principibus in matrimonii impedimenta auctoritatem revocent. Ab hac tamen exhortatione prudens abstinuit TAMBURINIUS. Meminerit etiam NESTIUS BOHEMERI Lutherani sententiam. Hic nimirum (Ius. Eccl. Protestant. T. II. tit. 2. §. 25. et seq.) ait: *adeo caussae matrimoniales ad consistoria nostra spectant, ut doctrina iuris Pontificii universa fere recepta sit .... imo adeo ad Consistorium hae causae spectant, ut ne quidem magistratus saecularis per modum praeventionis de iis cognoscere queat ... proinde quaestio principalis tamdiu suspendenda, donec de causa natalium in foro Ecclesiastico fuerit cognitum*. Ita Lutheranus auctor suae sectae sententiam, et consuetudinem confirmat. Displicet vehementer haec Catholicis nostris obiicere; at nostra pertractatio flagitat, ut Lutheranos contra LUTHERUM ipsum opponamus, hunc vero et illos Ecclesiae CHRISTI multo minus quam Catholicum iuvenem adversantes commonstremus. Vellem utique in hac instituenda comparatione me erasse potius, quam Catholicis eamdem obiecisse.

VII.

Nunc de ESPENIO dicamus, quem Concilii Tridentini interpretem nobis obiecisse forsan pigebit magnopere NESTIUM et TAMBURINIUM. Legimus

mus ergo apud ESPENIUM Tit. xvII. Cap. I. n. xII. *Concilium* (Trident.) *non definit, utrum ex CHRISTI institutione, vel utrum ex Principum indulgentia tacita vel expressa haec auctoritas inducendi impedimenta dirimentia Ecclesiae compêtat*. An haec ex sententia sua dixit ESPENIUS? Subspicionis mihi fundamentum suppeditat ESPENIUS ipse, qui non in altero opere, vel in altera eiusdem operis parte, sed paullo post habet alia, quae omnino his recitatis superius verbis repugnant, quaeque demonstrant superiora illa prolata minime fuisse ex ipsa ESPENII sed ex alterius sententia. Nam Part. II. tit. xiII. postquam aliorum recensuit opiniones de potestate constituendi connubiorum impedimenta, tandem ipse sententiam suam ita declarat, ut nobis nil gratius esse potuerit, quam obiectus a NESTIO et TAMBURINIO ESPENIUS. Ergo §. xvI. scribit: *Quidquid sit*, (de aliorum sententiis) *hoc constat iam a pluribus saeculis Ecclesiam et quidem privative et cum exclusione Principum saecularium impedimenta dirimentia inter Catholicos ordinasse, eaque pro temporum et locorum circumstantiis nonnunquam extendisse vel limitasse, aut etiam relaxasse; ac per consequens negari non potest, quin Ecclesia hac potestate a primis saeculis pacifice usa fuerit*. Quod quidem ex vetustissimis ipsius Ecclesiae canonibus probat. Tum vero §. xvIII. scribit: *Plura alia antiquitatis testimonia et exempla, quae Ecclesiae potestatem ponendi impedimenta matrimonii evincunt, per omnia saecula deducit GERBESIUS* (P. I. c. 4.) *ostenditque hanc auctoritatem non accepisse Ecclesiam a Principibus saecularibus, sed a Christo; eamque iure proprio a primis saeculis usque ad haec tempora semper hac auctoritate usam fuisse etc.* IGITUR (concludit §. xx.) FILUM

TRA-

TRADITIONIS INSEQUUTA SYNODUS TRIDENTINA, RECTE ANATHEMA DIXIT IN EUM, QUI DIXERIT, ECCLESIAM NON POTUISSE CONSTITUERE IMPEDIMENTA DIRIMENTIA, VEL IN IIS CONSTITUENDIS ERRASSE. Si ESPENIUS censuit, Ecclesiam *privative* et cum *exclusione Principum saecularium*, quodque nostra magis nunc interest, si existimavit a GERBESIO, quem doctissimum iure appellat TAMBURINIUS ipse §. LXXXXIII. ostensum, auctoritatem illam non accepisse Ecclesiam a saeculi Principibus, sed a CHRISTO eius institutore, eamdemque Ecclesiam iure proprio semper hac auctoritate usam fuisse, si demum Traditionem, ex qua GERBESIUS id ostendit, sequuta est in illis canonibus Tridentina Synodus; ergo ESPENII mens fuit, Ecclesiae propriam esse et intimam auctoritatem illam, de qua disserimus; adeoque eiusdem ESPENII mens est, Ecclesiam in iis canonibus decernendis proprio suo intimoque, non autem alieno iure usam fuisse. Postremo inutile non erit animadvertere id, quod habetur in titulo illius Capitis apud ESPENIUM; tituli enim declarant, quid auctori propositum sit. Itaque titulus XVIII. eiusdem Cap. I. huiusmodi est: *Hanc potestatem habuit Ecclesia independenter a concessione Principum*. Inutilis ergo et contradictoria firmae huic sententiae est prior illa ex ESPENIO obiecta dubitatio. Quare nimis properanter TAMBURINIUS ac NESTIUS ESPENIUM pervolutarunt, aut nimis alteri fidentes illud infausto omine obiecerunt.

VIII.

Superesset nunc afferenda responsio exemplis, quae ad suam firmandam interpretationem congessit TAMBURINIUS. Nos vero quaestiones lubentissime

me praetermittimus, quae necessario expediendae a nobis non sunt. Causa quaelibet examini subiicienda est ex rationibus, quae causae ipsi intimae sunt. Exempla quidem maîorem rei alicui afferre possunt lucem; sunt tamen comparationes quaedam, si recte perpendantur, quae supponunt demonstratum iam antea theoreticum principum, ex quo de eorumdem vi tantummodo enunciari potest iudicium. Qui secus de rebus definiendum putat, gloriosum si diis placet, casuistae nomen sibi aquirit. Nos ergo iam antea pluribus argumentis ostendimus, Tridentinos Patres definisse, Ecclesiam, sive Ecclesiasticam Hierarchiam potuisse ac posse propria sibique insita auctoritate condere canones de dirimentibus coniugiorum impedimentis; atque huiusmodi canones omnino dogmaticos habendos esse; ergo demonstratum pariter est, hanc Ecclesiae auctoritatem a saeculi Principibus mutuatam non esse Ecclesiam, nec expresso, nec tacito eorumdem consensu. Ergo quaecumque proferantur exempla, haec nunquam poterunt allatas demonstrationes destruere. Si quam haberent vim adducta a TAMBURINIO exempla, vim obtinerent, quae ex comparationis natura oritur. Verum, quin accuratiorem instituamus de iisdem exemplis comparationem, intelligimus eam omnino destructam esse ex allata Tridentinorum canonum demonstratione; proindeque exempla illa, quaecumque tandem sint, nil prorsus sententiae nostrae officere possunt.

CA-

CAPUT V.

Ostenditur ratione duce, Ecclesiam leges ferentem de dirimentibus matrimonium impedimentis nec usurpasse sibi Principum auctoritatem, nec usam esse tacito vel expresso eorumdem consensu.

I.

QUandoquidem ostensum superius a nobis est, ex Tridentino Concilio Ecclesiam propria sibique intima potestate tulisse leges de impedimentis connubia dirimentibus: propterea inde illud sua veluti sponte consequitur, Ecclesiam ipsam in hisce ferendis legibus nec aliena iura sibi vindicasse, nec mutuam accepisse ab aliquo hanc potestatem. Verumtamen demonstrandum hoc loco est, formulam *taciti* vel *expressi* consensus inane prorsus esse adversariorum effugium. Velim autem in primis, ut quisque animadvertat, formulam hanc, *ex consensu tacito* vel *expresso*, atque alias huic simillimas, quae adhibentur ad explicandam in rebus plurimis Ecclesiae auctoritatem, huiusmodi inquam formulas recentioris elegantisque esse consuetudinis; ut nempe hisce temporibus, quibus omnia ad humanitatem elegantiamque composita sunt, mitiora pro durioribus, quae antea in usu erant, vocabulis adhibeantur; quamquam et hac nostra perpolita aetate non desint, qui iuvenili seu inurbano quodam aestu incensi obscurae aetatis, ac barbarae nationis lexica lubenter adhibeant. Ergo LAUNOIUS vir ille castigatissimus, sed superioris saeculi scriptor accerrimus, primo audacter affirmavit, Ecclesiam sibi usurpasse ius constituendi dirimentia matrimonium impedi-

pedimenta, ex falsis nempe Rom. Pontificum decretalibus epistolis, de quibus infra disserendum a nobis erit. Atque in primis ille minime animadvertit, se hoc argumento declarare ac definire Reges omnes, Imperatores ac Principes, eorumque ministros plumbeos omnino ac pecudum more viventes, qui quum antea, ex falsa hypothesi, non viderint Ecclesiam fuisse usam potestate in Christianorum connubia, vidissent autem saeculo VIII. et subsequutis temporibus hanc sibi facultatem vindicasse, quae propria esset Principum, hos inquam Principes omnes, nemine prorsus excepto, ait veneratos esse apocryphas illas decretales epistolas, ac nullum prorsus movisse lapidem, quo novum Ecclesiae ius Regiae potestati omnino repugnans in dubitationem saltem vocarent, quum tamen rudiores etiam Principes in suis tuendis iuribus fuerint semper adeo solliciti, ut sapientioribus non cederent. Ita se gerunt, qui nostris hisce temporibus videri volunt Principum fautores.

II.

Quod Ecclesiae usurpationem audacissimus dixit LAUNOIUS, hoc ex consensu Principum tacito vel expresso in eam derivatum dixere recentiores. Ex animo id eos dixisse, si velint, fatear lubentissimus. Ast primo sinant, ut LAUNOIO respondeam, mutuemque responsionem non ex Rom. curiae sectatoribus, sed ex IACOBO CLEMENTE, Lovaniensi auctore libri inscripti: *Traité de pouvoir de l'Eglise sur le Mariage*, pag. 172. Verosimile ne est, inquit ille, Ecclesiam adeptam fuisse ius illud tentato usurpationis tramite? Quaero an vi, an dexteritate quadam? Neutrum sane. Ex veteribus enim historicis, ex quibus diiudicanda res esset, nemo profecto est, qui gravissimam hanc civilis, Eccle-

clesiasticaeque Reipub. mutationem vel leviter indicaverit. Verosimile ne est, usurpationem huiusmodi aut occultissimam fuisse; aut si semel fuisset detecta, neminem ex Principibus eidem repugnasse? Num passi fuissent, eripi sibi ius tam Regiae potestati proprium, tamque civili Reipub. necessarium? Postulo deinde, an Ecclesia omnibus simul Principibus, an vero successive hanc eripuerit potestatem? Primum quis non fateatur, prorsus humanam superare fidem? Alterum pariter. Quis enim sanae mentis vir non intelligat, Principes aliquos manifesto aliorum, quibus potestas illa sublata fuisset, experimento edoctos vehementer curasse, ne et sibi ipsis subriperetur auctoritas? Quis vero primus inter Pontifices vel Episcopos hoc sibi sumpsit gravissimum sane negotium? Quibus ille mediis in tanti facinoris consortium alios perduxit? Num coacta in hunc finem furtiva Concilia? At quum coepit Ecclesia constituere impedimenta illa, vel Catholicos ab iisdem relaxare, usurpatio tandem illa in omnium debuit oculos incurrere. Quis tamen ex Principibus unquam Ecclesiae repugnavit? Nil huiusmodi habent historici vetustiores. Recentiores autem scriptores, qui pro aris et focis ius illud Regibus ablatum clamant, in varias abeunt sententias, diversas designant epochas; atque hac ratione sui erroris demonstrant fundamenta. Ridiculum vero quammaxime esset asserere, Ecclesiam sibi per vim usurpasse eam, de qua disserimus, auctoritatem. Num enim Ecclesiae Pastores arma in hunc finem sumsere, vel contra Principes omnes simul, vel singillatim diversis temporibus? Plura novimus fuisse Pontifices inter ac Imperatores minoris sane momenti negotia, quae in orbem sunt universum evulgata, quorum notitia ad nostram usque aetatem perducta est: de hoc autem,

tem, quod maximum profecto censeri debet, ne unus quidem ex historicis loquutus est. Imprudens aliquis alia fortasse exempla illico nobis opponet, sed videat primo ac diligenter ipse perpendat, an conditiones omnes, quae in hanc rem sunt adnotatae, possint unquam simile permittere exemplum.

III.

Ast Principes vel expresso, vel tacito saltem consensu permisere hanc Ecclesiae suae maximam auctoritatem. Ita reponunt, qui erga Ecclesiam ipsam aequiores iudices, atque erga Principes patroni accuratiores videri exoptant. Verum cur ipsi vel expressum, vel tacitum nominant huiusmodi consensum? Nimirum ignorare se ingenue fatentur, an consensus ille, quem propugnant, expressus fuerit, an vero tacitus. Quod sane in primis evidenter, si quid sentio, demonstrat, expressum illum consensum inter laeta insomnia esse recensendum. Nemo enim ex huiusmodi scriptoribus adeo stupidus fuisset, ut si qui existeret huiusmodi consensus, ipsum ad commune societatis bonum in publicam lucem non evulgasset citissime. Quot enim alia habemus edita Principum privilegia Ecclesiae Pastoribus per summam religionem, liberalitatemque concessa? Non miror, nulla a TAMBURINIO allata vel indicata huius expressi consensus monumenta, quippe qui initio Cap. III. dixerit se magis historicum agere, quam disputatorem, quamvis potiora se attincturum brevissime, fontesque se indicaturum fuerit pollicitus. At mirari satis non possum siluisse de his monumentis NESTIUM, qui licet Decretales apocryphas nullius existimaret momenti, attamen de his aliquem iniecit sermonem, *ne quid hac in re intentatum se reliquisse aut dissimulasse* dici posset. Quare eorum silentium de monumentis expressum il-

illum consensum probantibus nullam nobis spem relinquit, sed inane dumtaxat desiderium eadem consulendi. Neque vero contendimus, ut publica et oecumenica proferant diplomata Constantini, Theodosii, aliorumve Imperatorum; satis nobis foret contemplari vel unicum historiae monumentum; quod adhuc desideramus.

IV.

Non defuit, inquient, tacitus Principum assensus, qui iuxta leges rectamque rationem expresso aequipollet. At nobis videntur verbis ludere, qui tacitum hunc consensum tantopere iactitant. Postremum nempe hoc illis effugium est, ut probent, si fieri id unquam posset, Ecclesiae nullam inesse propriam auctoritatem constituendi dirimentia connubiorum impedimenta, atque ut, quod solvi non potest, dissolvere studeant argumentum, quo propria haec nostrae Ecclesiae auctoritas, ESPENIO ipso fatente, probatur ex Evangelio, atque ex continua Traditione. Perscrutemur huius taciti consensus naturam et indolem; ex hac enim causa omnis definienda a nobis est. Quid est tacita consensio? Est nimirum silentium illius, qui loqui posset ac deberet, si quid ipse nollet fieri, quod ab aliquo fit. Tacitus igitur consensus duo flagitat, nempe auctoritatem in eo, qui silet, et alterius actionem, quae fieri legitime non posset sine illius auctoritate. Quamobrem tacita Principum consensio in ea re de qua disserimus, primo supponit esse in Principibus illud auctoritatis genus, quod nos Ecclesiae tribuimus; deinde supponit Ecclesiam in primis usam fuisse hoc ipso auctoritatis genere, quin postulaverit a Principibus auctoritatis eiusdem exercendae facultatem, eademque silentibus ipsis Principibus Ecclesiam usam fuisse. Utrumque Tridentino Concilio repugnat.

gnat. Nam ut evidenter demonstratum superius est, Tridentina Synodus dogmatice definiit, Ecclesiam seu Ecclesiasticam Hierarchiam potuisse ac posse propria sibique insita auctoritate constituere impedimenta matrimonium dirimentia. Ergo demonstratum quoque est, et Principum auctoritatem eam non esse, quam habet Ecclesia, et Ecclesiam non usurpasse sibi alienam potestatem. Hac demonstratione contentus esse debet, quisquis agnoverit evidenter a nobis demonstratam superius Tridentini Concilii definitionem.

V.

Verumtamen ut ratiocinationi, atque eruditioni aliquid indulgeamus, utramque argumenti partem ex aliis fontibus illustremus. Ad primum vero quod pertinet, plura lubens omitto argumenta ex historia deprompta, quae ad rem probandam forent quidem aptissima; sed quae ab adversariorum cavillationibus vindicata nimis diuturnum efficerent sermonem. Pauca alia afferam; quae defensionem minime postulant; haec enim demonstrant, Principes agnovisse in Ecclesiastica Hierarchia propriam auctoritatem condendi leges, de quibus nunc est disputatio. Hinc ergo consequens certe erit, Ecclesiam in iis ferendi non uti auctoritate, quae propria sit Principum; ac proinde argumento erit, somnium esse tacitam illam, quam obiiciunt Principum consensionem. Ergo Regii Oratores dum nomine Regis Christianissimi varia a Tridentini Concilii Patribus reformationis capita petierunt, inter quae vigesimum octavum illud est de retinendis antiquis, aut constituendis novis consanguinitatis gradibus, ita Episcopos alloquuti sunt: *Nunc et Principis nostri litteris victi ... quae nobis ad constituendam Rempub. Christianam necessaria videntur et opportuna scripto*

pro complexi sumus. Hoc autem volumus vos aestimare ... Carolum Regem nostrum cupere quidem, ut petitionum suarum omnium ratio habeatur, sic tamen a Christiana disciplina edoctum et institutum esse, ut vobis omnia tribuat, eorumque omnium istarum rationem, cognitionem et iudicium apud vos omnino sciat pertinere. Haec ex PALLAVICINIO nulla interpretatione indigent. Iamvero inter postulata illa Regis Christianissimi continebantur duo haec: ut nimirum irritarentur tum clandestina coniugia, tum ea quae a filiis familias invitis fierent parentibus. Primum definierunt Patres, alterum noluerunt. Rex ergo Galliarum veneratus est Concilii definitionem utramque; atque sua usus auctoritate irrita quoad civiles tantum effectus declaravit secundi generis connubia.

VI.

En vero argumentum, quod rem eamdem nobis propositam magis magisque illustrabit. Quum in edictis Blesensibus aliisque huiusmodi viderentur irrita definiri coniugia contra civiles quasdam leges contracta, Clerus Gallicanus supplicem Christianissimo Regi obtulit libellum, hisce verbis conceptum: *Rex humillime supplicatur, ut considerare non pigeat, quantum sit momentum in hoc articulo, qui eget expositione ad duarum difficultatnm elucidationem. Primum est, ut non aliter intelligantur hae voces* valide *et* invalide *contractum matrimonium, quam per relationem ad contractum civilem, et nullatenus ad contractum spiritualem Sacramenti: secunda, ut non adstringantur Ecclesiastici ad iudicandum secundum huius edicti, simulque Blesensis articulos, sed iuxta sacros canones et Ecclesiastica decreta, quae sunt unica regula et norma iudiciorum Ecclesiasticorum; hi enim non possunt, nec de-*

bent iurisdictionem, quam a solo Deo collatam habent circa res spirituales, ab ipsis laicis mutuari; quapropter necesse est ex ipso articulo resecare haec verba: et obligabuntur Ecclesiastici Iudices in causis huiusmodi matrimonia iudicare ad huius articuli normam. Rex vero, cui maxime cordi erat intactas servare Ecclesiae leges, declaravit: valide *aut* invalide *contracta matrimonia aliter explicanda non esse, quam solam relationem ad contractum civilem per laicos iudices: altera pariter difficultas iusta et rationi congrua visa est.* Quid clarius exoptari poterat, quid validius? Existimavit Clerus Gallicanus, potestatem civilem aliquid detrahere de Ecclesiastica potestate, si ita lex civilis irritasset matrimonia quaedam, ut ex hac civili irritatione irritum pariter esset Sacramentum; in ea enim fuit sententia ut putaverit ex legibus tantum Ecclesiasticis irritari posse matrimonium, ut sacramenti naturam non obtineat, atque hoc auctoritatis genus a solo Deo Ecclesiae suae collatum, non vero a civili potestate mutuatum; Rex autem amplissimae illius nationis, quae ab antiquis sane temporibus disputavit de indirecta in Regum temporalia quaecumque potestate, ut videre est in opere inscripto: *Traitez des droits et libertez de l'Eglise Gallicane*, Clero suo assentitur affirmanti, Ecclesiam ita a solo Deo habere iurisdictionem in matrimonii sacramentum, ut eius validitas aut irritatio non a civilibus sed ab Ecclesiasticis legibus debeat iudicari. Ergo Rex ille Christianissimus una cum Clero Ecclesiae suae existimavit, Ecclesiam in constituendis coniugiorum impedimentis uti propria et intima auctoritate, non vero illa, quam ex tacita Principum consensione obtinuerit. Aliam huiusce generis declarationem edidit Catholicus Hispaniarum Rex PHILIPPUS II.

ro-

rogante ac monente Carolo Croy Episcopo Tornacensi anno MDLX., exposuit enim Episcopus apud Regem, ministros laicae potestatis in urbe Bituricensi adversari semper Ecclesiasticis iudiciis quoad sponsalia et coniugia, atque etiam quoad impedimentorum dirimentium dispensationes, atque hanc civilium ministrorum repugnantiam componi non posse cum posestate, quam Ecclesia propriam intimamque in omni prorsus memoria obtinuit; Rex vero Catholicus votis annuens flagitantis Episcopi, respondit, velle se Ecclesiasticae iurisdictionis conservationem, non vero reposuit se permittere expressam,quam antecessores sui tacitam permiserint regiam Ecclesiasticae Reipub. auctoritatem. Rex pariter Lusitaniae, si recte memini, viginti ab hinc circiter annis legem tulit de aliquo matrimonii impedimento, addita tamen formula, qua declarabat se suam legem ad civiles dumtaxat matrimonii effectus coarctare. Iamvero commemorati Reges num huiusmodi decreta atque declarationes inconsulto tulere? Quis sanae mentis vir haec pronunciaverit? Studium nimirum, quod in iisdem maximum certe fuit, Regiam a Deo obtentam potestatem servandi, eos profecto adegit, ut in Regiis archivis vetustiora monumenta diligentissime perscrutarentur, antequam novi aliquid promulgarent, quod ad ipsorum pertineret potestatem, quodque nihil de hac posset detrahere. Decreta ergo illa et declarationes non modo vim habent, tamquam a solis commemoratis Regibus promulgatae; verum etiam fidem certissimam nobis faciunt sententiae, quam et vetustiores illorum Regnorum Principes professi sunt. Itaque spectata Principum auctoritate, ex eorumdem Principum sententia, recensenda sane est inter occultas Peripatheticorum qualitates tacita illa, quam tan-

to-

topere iactitant in hac re Principum consensionem.

VII.

Multo autem id magis fiet perspicuum, si Ecclesiae naturam et indolem considerent, adeoque eius potestatis, quae in Ecclesia fuisse conceditur, exercitium. Haec a CHRISTO Domino institutore suo edocta novit, quae sit praecipua Principum potestas, novit quanto debeant Principes in honore haberi, novit se in sacris obtinere auctoritatem, in civilibus autem agnoscendum esse supremum Principum imperium. Harum sententiarum, quae ex CHRISTI doctrina generosum ortum habent, plena sunt vetustiorum Ecclesiae Patrum veneranda volumina. At sententias huiusmodi cum tacito illo Principum consensu, de quo disserimus, componi haud posse video. Tacita enim consensio Principum quoad hanc potestatem, quae supponitur Ecclesiae concessa, constituendi connubiorum impedimenta, supponit certe, Ecclesiam ipsam vindicasse sibi huiusce potestatis exercitium aliquod, priusquam eidem concederetur a Principibus eadem illa potestas. Secus enim non tacitus, sed expressus fuisset idem consensus, de quo nullum est, quod existere deberet hac tanta de re monumentum, aut vestigium. Tacitus autem consensus, ut initio dictum est, ex eo oritur, quod quis novit aliquid cui repugnare posset, si vellet, nec tamen sciens repugnat. Ergo, qui Ecclesiam arbitratur usam fuisse ea facultate ex tacito Principum consensu, affirmat etiam Ecclesiam sibi eamdem adrogasse potestatem, quae Principum potestati est intima ac propria; adeoque vel sciens vel ignorans accusat Ecclesiam, quasi ipsa vel ex ignoratione auctoritatis Principum, vel ex impotenti audacia id sibi sumserit, quod erat alienum, quodve ad supremos civilis societatis moderatores iure pertinere non ignoraret.

VIII.

VIII.

Utrumque vero tum ex iis, quae nuper dicta sunt, tum ex iis quae sunt dicenda, est quammaxime absurdum. Qua enim aetate tantum facinus aut sciens, aut ignorans aggressa est Ecclesia? Ii, quos patimur adversarios in adsignanda huius adhibitae ab Ecclesia potestatis epocha, ut antea diximus, inter se adeo dissentiunt, ut nefas sit eosdem simul componere, atque ita ut, quod vellent, illius adhibitae auctoritatis initia reperiri haud posse demonstrent. Alii saeculum xI. alii vero vIII. vel vIIII. memorant, quo tempore pervulgatae sunt apocryphae Isidori Epistolae decretales. Sed novimus ex GERBESIO, IACOBO CLEMENTE, DROUVENIO, atque ESPENIO aliisque, antiquioribus etiam temporibus, Ecclesiam exercuisse eam potestatem, sive in condendis hac de re legibus, sive in concedenda quandoque ab iisdem dispensatione. Qua igitur aetate coepit haec Ecclesiae usurpatio, quam supponit tacitus ille Principum consensus? An sub primis Christianis Imperatoribus? Quis vero sibi suadeat, Ecclesiam illis temporibus aut ignorasse, quae Regii iuris essent, aut ausam fuisse Regiae potestatis tantam sibi adrogasse partem? Tum qui ea aetate florebant Ecclesiae Patres, tum qui eidem praecesserant, saepe docuerant ac docebant perspicue, Principes quoad civilem potestatem venerandos esse ut a Deo secundos. Si ergo Ecclesiae Pastores illi tam disciplinae suae retinentissimi, quam erga Principes obsequentissimi ea usi sunt auctoritate in re gravissima, cogitandum sane est, eos primum ausos minime fuisse, eripere sibi Principum auctoritatem. Neque ex his quispiam Ecclesiae hanc auctoritatem exercenti restitit unquam. Quinimo Patres sanctissimi aeque ac doctissimi, ut AMBROSIUS, HIERO-

RONYMUS, AUGUSTINUS et IOANNES CHRYSOSTOMUS aperte clamarunt, Christianorum nuptias ineundas esse non iuxta leges civiles, sed iuxta Apostolicas; plures enim sunt in civili iure leges quae CHISTI Domini, PAULLI Apostoli, et Ecclesiae legibus repugnant; propterea Ecclesia ipsa easdem saepe antiquitus etiam reprehendit; neque tamen Principes unquam Ecclesiae potestatem hanc exercenti repugnarunt. Hoc vero ne est tacitam praestare Ecclesiae consensionem? an potius veram ac propriam agnoscere Ecclesiae potestatem?

IX.

Ergo nec dici iure potest, Ecclesiam antiquioribus adhuc temporibus sibi vindicasse potestatem, quae esset Principum propria? Quommodo enim hoc ausa esset CHRISTI Ecclesia sub ethnicis Principibus? Hos noverat, pessimo semper animo in Christianos fuisse; noverat se nullo humano splendore circumdatam, noverat hoc esse maximum Christianae Religionis detrimentum, si quid ipsa fuisset aggressa, quod iure potuisset ethnicorum Principum iracundiam in CHRISTI gregem excitare. Itaque prima illa aetate ad id maxime adigebatur Ecclesia, ut quam cautissime primo perpenderet qualibet in re, an ageret iuxta potestatem sibi a CHRISTO institutore collatam, an vero in periculum incideret usurpandi sibi, cum gravissimo Christiani nominis dedecore, ipsorum ethnicorum Principum auctoritatem. Quamobrem a veritate omnino abhorret, Ecclesiam ipsam id sibi tunc vindicasse, quod suum non esset. Ergo tacitus illè Principum consensus, qui necessario supponit, Ecclesiam vel ignorasse sua ac Principum iura, vel ipsam temerario ausu sibi alienam adscripsisse auctoritatem, consensio inquam illa nulli Ecclesiae tempori assignari potest. Ergo fabel-

bellis accensenda. Exempla opponant, si ipsi possunt adversarii, quae certo probent, aliquid Regii iuris primo ab Ecclesia sibi usurpatum, cui usurpationi tacitus accesserit Principum consensus, eamque usurpationem definitam esse, quod impossibile est, ab oecumenico Concilio tamquam legitimam ipsius Ecclesiae auctoritatem; ac tunc exempla viro Theologo erunt dignissima, quae omnes licet invitos in expressum assensum rapient.

X.

At meminerint dictum ab ESPENIO, negari non posse, quin Ecclesia usa sit illa potestate a primis saeculis, nullo prorsus repugnante; meminerint probatum ipsi ESPENIO fuisse GERBESII opus, in quo demonstrat eiusdem potestatis originem a CHRISTO ipso Ecclesiae institutore. CHRISTUS enim prohibuit coniugii solutionem, quam permittebant Principum Ethnicorum iura; quod CHRISTI praeceptum commemorat etiam Apostolus PAULLUS, quique praeterea auctoritate apostolica permisit in aliqua hypothesi aut coniugii solutionem, aut saltem, ut plurimum quibusdam scriptoribus concedam, matrimonii divortium (quod tamen rem afficit etiam civilem) inter coniugem fidelem et infidelem, quamvis huiusmodi coniugia legibus civilibus minime repugnarent.

X I.

Perbelle vero NESTIUS respondet Cap. viii. (eadem dixerat TAMBURINIUS §. cvi.) CHRISTI Servatoris nostri, et Apostoli PAULLI dicta minime probare Ecclesiasticam in matrimonii impedimenta auctoritatem; quod nempe CHRISTUS proposuerit illud, quod divini et naturalis iuris erat; quae quidem potestas, inquit, in Apostolos et Ecclesiam manavit, quae Christianos populos ea docere

re potest, quae tum in nuptialibus pactionibus, tum in aliis quibuscumque hominum pactis divino naturalique iuri adversantur. Ex hac verborum implicatione quisque potest animadvertere, NESTIUM in ea esse sententia ut putet, CHRISTI et Apostoli supradicta exempla non probare auctoritatem Ecclesiae constituendi connubiorum impedimenta, sed dumtaxat docendi Christianos de impedimentis iure divino ac naturali statutis. Recte sane. At quisnam definit impedimenta iuris divini ac naturalis. Nonne Deus ipse? Divina Decalogi praecepta, ac tot aliae leges in sacris litteris traditae non ne fluunt ex iure divino ac naturali? verumtamen earum interpretem si Ecclesiam neges, eamdem quoque negaveris Scripturarum interpretem esse quoad CHRISTI et Apostolorum praecepta atque consilia. Iamvero NESTIUS ipse recitat cap. VIII. pag. 72. celeberrimum Tridentini decretum de Scripturarum interpretatione, his verbis contentum: *ad coercenda petulantia ingenia, decernit* (S.Synodus) *ut nemo suae prudentiae innixus in rebus fidei et morum ... sacram Scripturam ad suos sensus contorqueat contra eum sensum, quem tenuit, et tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam Sanctam interpretari audeat.* At dicta illa a CHRISTO Domino, et Apostolo PAULLO de coniugii indissolubilitate, seu de impedimento, quod dicunt ligaminis, a Patribus, a Pontificibus, a Conciliis appellantur Evangelicae et Apostolicae leges; Ecclesia quoque in Tridentino Concilio congregata definiens, se potuisse ac posse auctoritate propria impedimenta matrimonium dirimentia constituere, easdem illas ut leges videtur respexisse; itaque nos huic in-

interpretationi adhaerentes, petulantis ingenii reprehensionem evasuros arbitramur. Vide si libet, IACOBUM CLEMENTEM, scriptorem Lovaniensem, GERBESIUM ac DROUVENIUM Gallos, aliosque plures, si ESPENIO Lovaniensi, quem NESTIUS semper *honoris caussa* nominat, fidem minime praestandam putes. Ex his vero omnibus partim ad necessariam responsionem, partim ad liberam eruditionem allatis perspicuum ut reor fiet, Ecclesiam non expresso aut tacito Principum consensu, sed propria auctoritate leges ferre de impedimentis matrimonia dirimentibus; ut a Tridentino definitum Concilio evidenter superius demonstratum a nobis est.

CAPUT VI.

Ex Lutherana haeresi a Concilio Tridentino damnata demonstratur, Ecclesiam in definienda potestate in dirimentia connubiorum impedimenta non usurpasse Principum auctoritatem, nec usam esse tacito vel expresso eorumdem consensu.

I.

TUm ex Tridentinis canonibus, tum ex recta Theologica ratione ostendimus iam evidenter, Ecclesiam ferentem leges de sua potestate in dirimentia connubiorum impedimenta nec vindicasse unquam sibi eam auctoritatem, quae propria sit saecularium Principum, nec in condendis eisdem legibus usam esse tacita aut expressa eorumdem Principum consensione. Nunc ergo superest, ut ad maiorem Tridentinorum canonum illustrationem haec eadem demonstremus ex Lutheranae haereseos natura, quam a Concilio Tridentino damnatam quidem fatentur, sed ita eamdem immutant, ut Tridentinae definitioni inanis forma accedat. Consulamus ergo genuinam LUTHERI doctrinam; tum responsionem afferamus argumentis, quae NESTIUS sibi consentiens contra obiicere posset, quaeque reipsa opposuit nuperrimus scriptor IOANNES PEHEM.

II.

LUTHERUS ergo in libro de *Captivitate Babylonica* affirmat, Fidelibus necessariam non esse Pontificiam abs dirimentibus impedimentis dispensationem, sed unumquemque dispensare posse aut fratres suos aut etiam seipsum, adeo ut aequalem in ho-

homine quocumque ac in Romano Pontifice velit potestatem. En impiam eius sententiam: *Quod si urgeat quaevis necessitas propter quam dispensat Papa, dispenset etiam quilibet frater cum fratre, aut ipse cum se ipso, rapta per hoc auxilium uxore de manu tyrannicarum legum, utcumque poterit. Ut quid enim mea libertas tollitur aliena superstitione et ignorantia? Aut si pro pecunia Papa dispensat, cur non ipse pro meae salutis commoditate mecum, aut cum fratre dispensem? Statuit leges Papa? Sibi statuat, salva mea libertate*. Si LUTHERUS in ea fuisset recentiorum opinione, ut putaret Ecclesiam, sive Romanos Pontifices ferre de matrimonio leges, earumque concedere relaxationes non ex propria sed ex civili auctoritate, non dixisset ille, cuicumque liberum esse solvere ab impedimentis fratrem suum, aut etiam se ipsum, sed pronuntiasset confugiendum esse ad civilem potestatem; ex qua orta esset Ecclesiae et Pontificis auctoritas. Ita sane arguit NESTIUS, qui quum doceat iuxta LAUNOIUM, SARPIUM aliosque Ecclesiae propriam non inesse auctoritatem in dirimentia coniugiorum impedimenta, et quum, ipso iudice (si Diis placet) gravissimo Ecclesia nunc ea auctoritate abutatur, suadet ut Principes illam sibi revocent; adeoque ablata Ecclesiae facultate non affirmat, quemlibet esse suae libertatis dominum, sed ad Principes continuo ad impetrandam dispensationem esse confugiendum. At LUTHERUS liberrimam hanc unicuique impertitur facultatem; ergo vel non vidit Ecclesiam uti aliena in hoc genere potestate, vel non admisit in Principibus auctoritatem illam; postremum hoc falsum demonstratum est superius Cap. II. §. VIII. ex doctrinis LUTHERI; ergo ex iisdem sequitur alterum, nempe Ecclesiam usam esse potestate propria,

F con-

contra quam haeresiarcha ille blasphemabat.

III.

Dixerit, ut arbitror, NESTIUS, LUTHERUM in ea fuisse haeresi, ut impius revera docuerit, nullas observandas esse quorumcumque hominum leges matrimonia dirimentes. Nam in libro de *Captivitate Babylonica* scripsit: *adde his, quod homo non habuit ius leges tales condendi, et Christianis per Christum libertas donata est super omnes leges hominum, maxime ubi lex divina intercedit: deinde quod tales leges praedamnatae sunt per Paullum, ubi prohibentes nubere futuros praedixit*. Tum ille de quibusdam matrimonii impedimentis disserens, ac primo de impedimento Religionis ait: *Quis hoc prohibuit? Deus an homo? Quis hominibus potestatem fecit prohibendi sic nubere?* De impedimento criminis, clamat: *Unde iste rigor hominum in homines, qualem nec Deus unquam exegit?* Tandem de impedimento Ordinis oblaterat: *Quid si impii homines illud prohibeant, aut dirimant mera tyrannide sua? Esto illicitum apud homines, licitum tamen est apud Deum*. Iamvero communis ratio, quam LUTHERUS opponit hisce impedimentis, est divina lex, quae eadem minime constituit, ex quo infert non potuisse homines impedimenta illa coniugiis obiicere. At ratio illa improbat Principum de hac re leges. NESTIUS enim inquiet, impedimenta matrimonium dirimentia omnia iam tum ab Imperatoribus et Principibus instituta fuisse, ut ipse conatur de singulis ostendere Cap. xII. ergo LUTHERUS ea improbavit matrimonii impedimenta, quae a civili potestate constituta sunt; adeoque blasphemavit contra potestatem illam, quam Ecclesia ex Principum indulgentia exercebat. NESTII partes egimus, ut videtur, accuratissime.

IV.

IV.

Nunc nostras agere oportet. LUTHERUS dicendus est, illud negasse Ecclesiae auctoritatis genus, quod ipse noverat esse in Ecclesia, seu quod opinabatur Ecclesiasticae potestatis abusum, non autem genus illud, quod alii posteriore aetate subtilioris Metaphysicae studio excogitarunt. Iamvero, quod noverat LUTHERUS, primo ex eius scriptis, tum ex temporum circumstantiis investigandum est. LUTHERUS nunquam meminit auctoritatis Principum; nunquam meminit auctoritatis, quam Ecclesia ex eorumdem indulgentia exerceret: meminit vero legum, quas de impedimentis matrimonium dirimentibus tulerat Ecclesia, tulerant R. Pontifices, ac de dispensationibus, quas illi ab iisdem impedimentis concedebant. Neque aetate LUTHERI quisquam ex Theologis, Iurisperitis, aut Metaphysicis excogitaverat adhuc, Ecclesiam in hac re uti potestate Principum. Fateor equidem argumentum, quo LUTHERUS negat Ecclesiae auctoritatem in dirimentia connubiorum impedimenta, negare quoque eamdem civili Principum potestati. At heic inquirimus non quae sit in argumento vis et energia, investigamus tantum, quae fuerit mens LUTHERI. Novum exemplum non est, quod ex eodem principio (quaecumque tandem caussa fuerit) diversae, contrariae, atque contradictoriae eliciantur a scriptoribus consequutiones. Ergo investiganda non intima vis argumenti, sed ea tantummodo, quam in eodem inesse voluerit LUTHERUS ipse. Verum hic, ut antea Cap. II. §. VIII. demonstravimus, fassus est verbis perspicuis se a legibus hominum excipere leges civiles; hae igitur ex mente LUTHERI excipiendae sunt. Ecclesiasticas vero leges per contemptum apellat humanas, ut divinis

 repu-

repugnantes. Quod si putasset LUTHERUS, Ecclesiam his usam fuisse ex Principum consensu; non modo dixisset se excipere a legibus hominum civiles, sed praeterea, ut moralis certitudo suadet, addidisset Ecclesiam, ac Rom. Pontifices abuti indulgentia Principum, aliaque huiusmodi, a quibus minime abhorrebat LUTHERI lingua pudoris nescia. Num assignari forsan poterit prudens aliqua ratio, qua LUTHERUS de re illa siluerit? Quinimo potius omnes LUTHERI conditiones contrarium prorsus nobis demonstrant. Itaque dicendum omnino est, Tridentinis canonibus definitam, confirmatamve propriam Ecclesiae potestatem in dirimentia matrimonium impedimenta; nisi velis damnatum a Tridentina Synodo errorem, quem nemo haereticorum tuebatur. Quod vero Ecclesia vel confirmaverit auctoritate sua civiles aliquas de matrimonio leges, vel alias ipsa condiderit, adeo evidens est ex Ecclesiasticis monumentis, quae attulere GERBESIUS, IACOBUS CLEMENS, DROUVENIUS aliique, ut inutile prorsus sit confutare lepidissimum LITTAM existimantem has non esse Ecclesiae leges, sed Pontificum responsa et consilia. Meminerint tantummodo eius scriptoris patroni, improbatas, revocatasque vel a Conciliis vel a R. Pontificibus civilis potestatis de matrimonio leges naturalibus, divinis, Ecclesiasticisque repugnantes.

V.

Quandoquidem vero erroris natura est, ut non uno sed variis prorsus diverticulis a veritatis norma deflectat; eamdem proinde Concilii interpretationem proponit nuperrimus auctor IOS. IOAN. NEP. PEHEM, PRAELECTION. *in ius Eccles.* P. II. §. 458. sed ita ex diverso fonte petitam, ut intereat omnino, quam hucusque demonstravimus eiusdem

Tri-

Tridentinae Synodi auctoritatem. Ille ergo haec habet: *Canonem Tridentinum ex historia et scopo huius Concilii explicandum esse nemo puto in controversiam revocabit. Inde autem discimus, anathema intentatum* (forte pro *inflictum*) *eos tantum ferire, qui potestatem constituendi impedimenta dirimentia Ecclesiae ideo denegarunt, ut dogma Sacramenti abolerent, quique libertatem matrimonii ineundi sine restrictione a quocumque demum posita indulgendam esse contenderunt, quousque Deus* expresse *non restrinxerit; quam opinionem LUTHERUS de* Captiv. babylon. *foverat, et ipsa Synodus Tridentina* can. 3. *perstrinxerat*; qua *admissa nec ex concessa et delegata potestate unquam Ecclesia impedimenta statuere potuisset: quique denique Ecclesiam male usurpatae potestatis alienae ream agebant. Qui autem iuris publici universalis principiis et antiquissimae traditioni inhaerentes hanc potestatem ex Principum beneficio Ecclesiae obtigisse adfirmant, nec dogma sacramenti abnuunt, nec concessam vel aquisitam potestatem veram esse et legitimam inficiantur*. Idem auctor, *ibid.* §. 516. de canone III. Concilii haec addit: *manifestum est, non heic definiri, quo iure ea* (Ecclesia) proprio *an* delegato *in impedimentis dirimentibus contractum matrimonialem dispensare possit; sed illum damnari errorem novatorum; qui tum quidem partim contendebant, legem hac de re mo*saicam *etiam Christianorum intuitu immobilem esse; partim dispensandi potestatem Ecclesiae abnegabant, ut dogma Sacramenti abolerent; partim huius potestatis usum impium et iniustum calumniabantur*. Et §. 517. *Delegata igitur est Ecclesiae potestas, quam in remittendis impedimentis contractum matrimonii dirimentibus exercet*. Haec IOSEPH PEHEM.

VI.

Sed ex antea observatis pauca adnotanda sunt ad huiusce interpretationis confutationem. Contendit PEHEMIUS negatam a LUTHERO illam Ecclesiae potestatem eo fine, ut matrimonii Sacramentum destrueret. Ergo necesse est, ut PEHEMIUS demonstret, vel maximam haberi connexionem inter binas has propositiones: Ecclesia potestatem habet constituendi dirimentia matrimonium impedimenta; ergo matrimonium est Sacramentum; vel hanc duarum propositionum connexionem saltem fuisse a LUTHERO admissam. At neutrum ostendi a PEHEMIO poterit: si vero ostenderit, consequens inde erit, agnitam a LUTHERO eam potestatem ut Ecclesiae propriam, quam ipse potestatis abusum appellat, ac certe ut propriam Ecclesiae definitam fuisse a Tridentino Concilio. Primum demonstrari nequit; nam Ecclesia impedimenta etiam constituit, ne plura alia aut licite, aut valide peragantur, quae tamen Sacramenta non sunt. Nimirum potestas constituendi impedimenta, est potestas ferendi leges aliquid vetantes ne fiat a subditis, ita ut si illud ab eisdem in aliquibus rerum circumstantiis perficiatur, aut illicite, aut invalide perficiatur iuxta legum rerumque diversitatem. Ecclesia porro huiusmodi leges ferre potest, quoties agatur de moribus, aut de sacris rebus, licet sacramenta non sint. Ergo ex eo quod Ecclesia leges condat de impedimentis coniugiorum, consequens inde minime ex hoc tantummodo est, quod matrimonium Sacramentis sit adnumerandum.

VII.

Neque vero alterum demonstraverit unquam PEHEMIUS, nempe necessariam earum propositionum connexionem ex LUTHERI doctrinis. Haere-

resiarcha enim ideo blasphemabat, matrimonium e Sacramentorum numero seiungendum, quod ut ipse censebat, atque ut putant etiam aliqui ex nostris Scholasticis, nullum sit in N. Foedere testimonium, ex quo illud evidenter probari possit; neque enim ipse alterum Fidei fontem, idest Ecclesiae Traditionem fatebatur. Sic LUTHERUS (*Disputat. contra Articul. Lovan.* art. xxxxv.) *Matrimonium*, inquit, *esse Sacramentum sine Verbo dicitur, et a magistrollis in speculo Marcolfi visum est:* Alibi vero (de Captiv. Babyl.) scribit: *Matrimonium non solum sine ulla Scriptura pro Sacramento censetur, verum eisdem traditionibus, quibus Sacramentum esse iactatur, merum ludibrium factum est.* Quam deinde blasphemiam pluribus argumentis conatur impius probare; quod nempe, si ipsum audiamus, matrimonium non habeat CHRISTI institutionem, nec divinae gratiae promissionem, quod fuerit matrimonium usque a mundi exordio, quodque ineatur etiam inter infideles. Noverat vero LUTHERUS, Ecclesiae vetustissimam esse disciplinam, ut iurisdictionem exerceat in rebus quibuscumque sacris aut religiosis, licet Sacramenta non sint, eamque ferre leges ad mores Christianorum spectantes; nec ullus proferri a PEHEMIO aut iudicari potest locus, in quo LUTHERUS unquam fassus sit aut contenderit necessariam esse illarum propositionum connexionem. Contra vero, si Lutheranos consulamus, Ecclesiasticorum ordo potestatem habet in matrimonia, licet illa Sacramenta non adnumerent. En BOHEMERUM, qui (*Ius. Eccles. Protestant.* T. I. tit. I. §. 25. 26. 27.) haec habet: *adeo vero causae matrimoniales ad Consistoria nostra spectant, ut doctrina Iuris Pontificiis universa de hac materia fere recepta sit. Pertinet itaque ad Consistorium*

 etiam

etiam causae sponsaliorum , si vel examine sint de futuro , et quamvis haec rationem Sacramenti non habeant de iure Pontificio , hoc ipsum tamen eas suo foro vindicavit , et ad eius exemplum praxis Protestantium ... imo adeo ad Consistorium hae causae spectant , ut ne quidem magistratus saecularis per modum praeventionis de iis cognoscere queat . Similia fere habet CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIUS (*in Orig. Iur. Eccl.*) qui BOHEMERUM ut magistrum laudat. Quinimo et LUTHERUS ipse (*Conc. V. de Matrim.* scribit: *Omnino itaque res sancta est, et sacra* (in lata significatione) *matrimonium , si rite fuerit observatum , in cuius typo significatur is, qui quum Deus esset , factus est homo etc.* Quamobrem ex LUTHERI doctrina nequit demonstrari , LUTHERUM ipsum inter binas illas propositiones necessariam agnovisse connexionem.

VIII.

Quod si hoc demonstraretur , iam inde consequens esset , quod nollet PEHEMIUS , nempe et LUTHERUM putasse , Ecclesiam constituentem dirimentia coniugiorum impedimenta usam non esse Regia potestate , sed abusam esse Ecclesiastica iurisdictione. Nam si LUTHERUS arbitratus esset , Ecclesiam in hac re usurpasse aut adhibuisse potestatem Regiam , de hac re ipsa aliquam iniicere debuisset mentionem . Haeresiarcha enim impudentissimus, qui Ecclesiam tot iniuriis contumeliisque adorsus est, quique curabat magnopere , ut amissa Ecclesiae amicitia hanc sibi apud Principes vehementissime aquireret , non siluisset profecto aut illam Ecclesiae usurpationem , aut acceptae a Principibus potestatis abusum: Principibus magnopere consuluisset, quod nunc non veretur Catholicus quidam , ut concessam Ecclesiae potestatem in sua iura revocarent.

rent. At de hisce omnibus ne verbum quidem reperire est apud LUTHERUM. Quinimo vidimus iam superius, eum hortari Sacerdotes, ut confirment coniugia contra leges Ecclesiasticas et Pontificias inita. Ecclesia porro ex mente LUTHERI abutebatur facultate in Christianorum coniugia; ergo si censuisset potestatem hanc ipsi fuisse a Principibus collatam, probare tentasset, debere Principes omnem quamcumque eidem eripere; atque propterea eorum implorandam esse auctoritatem clamasset, ut coniugia illa confirmarentur.

IX.

Quum ergo LUTHERUS Ecclesiam male usurpatae potestatis alienae ream ageret, potestatis alienae nomine divinam tantummodo, non illam Principum commonstrabat; aiebat enim non esse constituenda coniugiorum impedimenta plura iis, quae in Levitico recensentur, quia Deus plura minime constituit, quia separandi non sunt, quos Deus coniunxit, quos ipse non separat; ac propterea divinam legem semper opponit Ecclesiasticis de matrimonio legibus, easque *tyrannicas* per summam iniuriam appellat, quas etiam per contemptum *humanas* vocat. Demonstratum namque superius a nobis est, *leges humanas*, *leges hominum* dici a LUTHERO non quascumque hominum, adeoque et Principum de coniugio leges; sed ipso LUTHERO interprete ostensum est, hisce formulis Ecclesiasticas dumtaxat et Pontificias leges indicari. Ergo LUTHERUS liberum volebat matrimonium non a legibus quibuscumque, sed tantum ab iis quae latae ab Ecclesia fuerant; nam ab hominum legibus, quas ipse appellat, expresse exceptas voluit leges Principum, ut supra ostendimus, quibus sancte obtemperandum hac etiam in re ipse docuerat. Itaque a veritate pror-

prorsus aberrat interpretatio, quam PEHEMIUS Lutherano errori subiicit, qui forte LUTHERI opera nunquam consuluit, sed interpretationem, ut videtur, ex impurissimo aliquo fonte, vel nimis ingenio suo indulgens auditoribus suis securus propinavit. Si ergo Tridentini canones ex historia et scopo Concilii interpretandi sunt, ut ipse PEHEMIUS ingenue fatetur, si LUTHERUS non alienae potestatis abusum in Ecclesia damnavit, sed quem putabat abusum propriae ipsius auctoritatis, ut antea demonstravimus; consequens profecto est, Tridentinis canonibus dogmaticis definitam fuisse propriam Ecclesiae potestatem dirimentia constituendi impedimenta plura iis, quae sunt in Levitico, atque ab iis eadem auctoritate propria Fideles aliquos dispensandi. Namque in concessis positum a PEHEMIO est, damnatum in Tridentinis canonibus errorem LUTHERI, negantis Ecclesiae potestatem illam; at LUTHERUS ne verbum quidem habet de hoc Ecclesiasticae potestatis genere, adeoque nunquam negavit, Ecclesiam habere eam potestatem ex Principum indulgentia; ergo Tridentina Synodus non damnavit, quem LUTHERUS non docuit errorem huiusmodi. Verum LUTHERUS negavit propriam Ecclesiae potestatem; hunc ergo ut errorem anathemate proscripsit eadem Tridentina Synodus. Sed damnare doctrinam illam LUTHERI, idem est ac definire doctrinam ipsi contradictoriam; ergo Concilii Tridentini Patres iis canonibus definiere, Ecclesiae inesse intimam propriamque potestatem statuendi impedimenta matrimonium dirimentia, adeoque et auctoritatem ab iisdem aliquos dispensandi.

C A-

CAPUT VII.

Ostenditur Tridentinos Patres, Ecclesiae potestatem in dirimentia matrimonium impedimenta non definiisse ex apocryphis ISIDORI epistolis decretalibus.

I.

SI sententiae nostrae obtrectatores haud recte aliquo usi sunt ingenio in interpretandis seu potius evertendis Tridentinae Synodi canonibus, atque in permutanda Lutheranae haereseos natura; nunc certe se omnino defecisse commonstrant, quum ad suae causae defensionem argumentum deducunt ex apocryphis ISIDORI decretalibus epistolis; argumentum videlicet eruunt ex profundissimo sepulcro, cui lapis est inscriptus: HVIC . MONVMENTO . DOLVS . MALVS . ABESTO . ET . IVRIS . CONSVLTVS. Pudebat quidem NESTIUM ad hocce sepulcrum accedere, et sordidos iterum excitare pulveres; certum animo fixumque ipsi erat (pag. 44. not. 1.) hasce nullius momenti decretales alto praeterire silentio; sed ne quid ab ipso aut intentatum, aut dissimulatum videretur, quo posset Rom. Theologorum, praesertim Coenobitarum, qui in *Rom. Curiam* impotentissimo studio abrepti sunt, infinita commenta destruere; propterea nunc ex iisdem apocryphis litteris, licet invitus et repugnans, ortam demonstrare contendit sententiam de Ecclesiae potestate in dirimentia connubiorum impedimenta. Sed num decretales illas, quas ipse commemorat, perlegerit unquam, videbimus postea. Addit eodem orationis contextu, illam Ecclesiae auctoritatem eru-

erutam a Tridentinis Patribus ex Scholastica opinione de indirecta ipsius Ecclesiae potestate in Regum temporalia. Sed de hoc altero fonte dicemus sequenti capite; nunc tantummodo, quae ad Isidorianas decretales pertinent diligenter evolvamus.

II.

Nestius ergo (*pag.* 75.) ita praeclarum se exhibet Tridentini Concilii interpretem. *Verum esto*, inquit, *quod huiusmodi Tridentini Canones dogmatici habeantur*; hinc tamen non sequi insitum Ecclesiae ius de quo disserimus, ille contendit, ut superius vidimus. At pag. 77. se poenituit maxime Dogmaticos dixisse Tridentinos canones; argumenta enim affert, quae canonum dogmaticorum naturam destruunt omnino. *Verum*, inquit, *etiam si daretur, quod certe negamus, Tridentino definitum fuisse Concilio, supremum Ecclesiae in matrimonium ius esse, quum tamen illud ex adulterinis EVARISTI, FABIANI, ac CALLISTI decretis, quae tunc temporis vera sinceraque habebanrur, nec non ex indirecta commentitia illa potestate profluxerit, qua Tridentinos innixos fuisse Patres, ubi celebre de clandestinis tollendis matrimoniis edidere decretum, superius demonstravimus, perspici aptissime potest, Tridentinam illam nostrae minus obesse sententiae definitionem, quippe quae commentis falsisque principiis ac fundamentis continetur. Huc accedit etiam, quod quum Principes Regesque . . . auctoritati illi, quam Concilia et Pontifices ex falsis decretalibus epistolis, atque indirecta potestate hauserant, tacita consensissent approbatione*, hinc consequens omnino esse affirmat pag. 78. Tridentinos Patres *suis illis canonibus decrevisse, Ecclesiam non iure proprio, sed alieno, tacita nempe Principum indulgen-*

tia

tia eas nuptiali conventioni statuere posse conditiones, sine quibus prorsus irrita et infecta redderentur. Haec NESTIUS, qui vel fessus adhuc ut bonus HOMERUS, sit verbo venia, dormitare pergit, aut existimat dormitantes et Principes ipsos, et quotquot eius librum singularem sint perlecturi.

III.

In primis vero monendus est NESTIUS, ut quum aliquid adversae sententiae patronis concedit, quod ipse tamen non admittit, debat ostendere, quod ex firma illa concessione minime sequatur eiusdem adversae sententiae veritas et confirmatio. Si ergo adversariis concedit, dogmaticos esse Concilii Tridentini canones de quibus sermo est, concedit quoque esse infallibiles, nimirum SPIRITU S. afflante dictatos, proptereaque certis, non autem aut falsis aut fluctuantibus fundamentis innixos. Quo igitur nunc iure affirmat, canones illos ortos ex falsis ISIDORI decretalibus, atque ex commentitia Ecclesiae indirecta potestate in Regum temporalia? Si dogmaticos concedit, adeoque infallibili factos auctoritate; ergo et concedat oportet, aut eos originem ex illis fontibus non habere, aut si hoc velit, purissimos esse eosdem fontes concedat oportet. Verum fortasse argumenti genus adhibet NESTIUS, quod ex absurdo appellant Geometrae, ut nimirum demonstrata hac falsa eorumdem canonum origine, ostendantur quoque canones non ad dogma spectare sed ad disciplinam, in qua Ecclesia universa, tamquam in re facti errare possit. Parcat, quaeso NESTIUS, si eius mentem non sim illico assequutus. At parcat etiam, si forte videar in responsione irasci.

IV.

Quoad decretales ISIDORI epistolas, duo affirmat NESTIUS; primum definitum a Tridentinis Pa-

Patribus, supremum Ecclesiae in matrimonia ius esse ex adulterinis Rom. Pontificum decretalibus; alterum falsas huiusmodi merces tunc temporis ut veras sincerasque habitas fuisse. Hoc postremum, si universalem tunc huiusce rei ignorationem opponat, ut videtur NESTIUS obiicere, falsum est; si universalem non fateatur, nullius momenti argumentum opponit, nisi demonstret illam in Tridentinis saltem Patribus ignorationem. Primum vero, quod falsis decretalibus innixi Patres illi suos condiderint canones, est fere aliquod calumniae genus, quod Catholicum virum maxime dedecet. Supponit enim NESTIUS, non modo adulterinas esse eas epistolas, sed erroribus quoque hac de re implicatas; nisi enim hoc supponat, iam nulla amplius erit argumento vis et energia. Iuxta probrosam hanc hypothesim loquemur postea. Nunc enim quod secundo loco propositum est, persequi lubet. Quod tempore Tridentini Concilii genuinae sinceraeque haberentur decretales illae, quae adulterinis sunt accensendae, affirmat NESTIUS, non demonstrat. Operosum et ego hunc affirmandi laborem mihi sumerem lubentissime, si affirmanti omnes hisce temposibus aquiescerent. Vel ergo NESTII auctoritas demonstrationi aequivalens aestimanda erit, vel eiusdem affirmatio est de re omnibus adeo perspecta et comprehensa, ut eadem sine tabulis, ac sine testibus sit omnino recipienda. Primum, quoniam in historicis veterum temporum rebus nemini nunc conceditur, nec possumus NESTIO impertiri; nec ipse sibi, ut arbitror, vindicabit unquam.

V.

Restat ergo alterum. Atqui si eos commemorem saltim, qui pluribus ante Concilium Tridentinum saeculis adulterinas decretales aut subspicati fue-

fuerant, aut iam agnoverant, si praeterea alios recenseam, qui circa Tridentinae Synodi tempora idem senserant, reor equidem id me satis aperte demonstrasse, quod propositum mihi esse debet. Iam vero novi in primis ex BLONDELLO (*PSEUDO-ISIDORUS, et TURRIANUS vapulantes*) atque ex BALUTIO (Praefat. in Dialog. AUGUSTINI) auctoribus de studio in Rom. Curiam minime subspectis, HINCMARUM Archiepiscopum Rhemensem, saeculi VIIII. scriptorem, qui etsi alicubi videatur eas omnes Epistolas venerari, alibi tamen aut indicasse spurias, aut saltem de earumdem falsitate subspicatum esse Idem fere de aliis Galliarum Episcopis dictum esto, quibus eadem de re dubitantibus an suaserit NICOLAUS I. qui eodem saeculo floruit, veluti genuinas esse recipiendas, omnino ignoramus. De WITCLEFO non dicam, qui quamvis a doctissimo SCHELESTRATIO putetur earum decretalium inimicus, hoc tamen ESPENIO dubium est. At plures sane commemorat BLONDELLUS in sui *PSEUDO-ISIDORI* prolegomenis Cap. XVIII. qui partim saeculo XV. partim sequenti, circa Tridentinae Synodi tempora vixerant, librosque in lucem edidere, in quibus eas epistolas falsitatis accusabant; cuiusmodi sunt, NICOLAUS DE CUSA S. R. E. Cardinalis, eique coaevus HENRICUS KALTHEISENIUS, quos sequuti sunt IOANNES DE TURRECREMATA pariter S. R. E. Cardinalis, DESIDERIUS ERASMUS, IOANNES DRIEDO, CLAUDIUS ESPENCAEUS, quem aliqui dixere tanto in honore fuisse apud PAULLUM IIII. R. P. ut ipsum cogitaret sacri Senatus LXXII. virum creare, DIDACUS COARUVIAS, ANTONIUS CONTIUS, IOAN. CAROLUS BOVIUS Ostunensis Episcopus paullo ante Concilii Tridentini exitum. Possem alios pariter heic re-

recensere; sed a coniecturis abstinendum puto, licet ad NESTII nil probantis confutationem et ipsae coniecturae satis esse possent ac deberent. Silentio tamen praeterire non possum ESPENII, quem honoris caussa NESTIUS appellat, verba praeclara quae habet P. III cap. I. §. III. *saeculo elapso* (nimirum XVI.) inquit, *exorti Lutherani*, *Calvinistae*, *aliique haeretici omnem movere lapidem*, *ut venerandae antiquitatis monumenta*, *quibus dogmata*, *et Ecclesiae disciplina suae praetensae Reformationi contraria asserebantur*, *vel supposititia*, *vel fidei dubiae redderent* .... *omne Catholicorum pene armamentarium ereptum iri crediderunt*, *si has decretales supposititias probarent*. Satis ne demonstratum, quod nobis erat propositum? Ita sane. Fingi ne ergo potest, temporibus Concilii Tridentini, ut genuinas generatim habitas fuisse epistolas illas? Soli ergo Episcopi in oecumenicum Concilium coacti, soli Theologi ac Iuris periti, qui eidem Concilio adiutores intererant, ignorarunt quae iam ante exorta, quaeque tam late patebat de illis decretalibus epistolis accerrima quaestio? Patres nimirum, et Theologi, qui noverant haereses, quae illis temporibus non modo scriptis, sed verbis etiam (vid. Cap. III. §. VIII. evulgabantur, ignorarunt hanc de huiusmodi epistolis Lutheranorum et Calvinistarum sententiam, ignorabant de eisdem decretalibus quaestionem, opinionemque non modo anteactis, sed illis etiam temporibus exploratissimam. Apage nugas. Meminerit NESTIUS, se suum non edidisse librum singularem, ut ludo esset pueris, qui nondum aere lavantur.

VI.

Si vero adhuc argumentum urgeri velit, videat quaeso, ne calumniam in Tridentinos Patres, divi-

divinitatis instinctu definientes maxime probrosam inciiciat. Non ignorabant illi accerrimam eruditorum, ac novatorum disputationem de earumdem epistolarum origine; ergo si canones de matrimonio ediderint falsis decretalibus innixos, imprudentissime se gesserunt ita, ut prudentiores multo fuerint, qui in oecumenico Concilio non sedebant iudices, quique peculiarem SPIRITUS S. opem ad definienda Christianae Religionis negotia non obtinebant, sicuti Tridentini Concilii Patres. An Catholico viro liceat ita de iisdem Patribus sentire, iudicet NESTIUS. Ex iis quos supra memoravimus doctos scriptores, qui ante Concilii Tridentini tempora decretales epistolas Isidorianas propositis argumentis in discrimen vocarunt, alii quidem Catholici, alii vero heterodoxi erant. At si ex iisdem epistolis conficiendi fuissent canones ad Ecclesiasticam saltem disciplinam spectantes, intererat profecto quam maxime quorumlibet audire argumenta, ac definire primum, quaenam ex iis genuinae habendae forent, quae vero reiiciendae, aut in subspicionem deserendae; sicuti primo quoque tempore Tridentini Patres enumeratos definierunt S. Scripturae libros, quos ut canonicos, nempe ut divinitus inspiratos ac genuinos recipiebant, ex quibus non tamquam ex unico, sed veluti ex primario fonte haurienda erant fidei nostrae dogmata, et inviolabiles morum praeceptiones. Verumtamen de decretalibus huiusmodi epistolis, de quibus tunc etiam vigebat inter eruditos quaestio, ne minima quidem fuit inter Concilii Patres, Theologos, ac Iurisperitos disputatio. Fieri ne ergo potuit, ut ex iisdem tantummodo, tamquam ex unico fonte manaverit canon aliquis Tridentinae Synodi? Haec pariter foemellis fila ducentibus suaderi facile possunt. Nam Patres illi ac iu-

 dices

dices optimi haud aegre sane intellexissent, se canones condere non contemnendae Catholicorum disputationi obnoxios, ac ferme omnino inutiles; quinimo et novatorum contemptui eosdem ita obiecissent, ut non facile se ab eorum clamoribus expedire potuissent. Quum vero Tridentini Patres condituri essent canones non modo ad disciplinam, sed ad fidei dogmata spectantes, quis putet eosdem tam coeco studio ductos, ut voluerint dogmaticos canones ex adulterinis, aut saltem ex dubiis monumentis condere? Nemo sane ex Catholicis id arbitrabitur.

VII.

Quoniam autem veritatis natura est, ut obtrectatorum iacula nil timeat; idcirco nos non piget afferre PAPEBROCHII auctoritatem, quam forte aliquis posset contra ea, quae hucusque demonstrata sunt, fidenter obiicere, ac de victoria sibi gratulari. Ille igitur *in Propilaeo Maii* inquit, *multas quoque epistolas Pontificum falso inscriptas nominibus ... diu illusisse credulitati Christiani orbis, ipsique Ecclesiastici iuris compilatoribus, quin etiam NICOLAO I. eiusque deinceps successoribus, nec non Conciliis tam generalibus, quam particularibus.* Si quod ergo, inquient, generale Concilium semel hisce suppositis epistolis deceptum est, quid vetat, quominus et Tridentinum decipi potuerit? Magna quidem veri species, sed inane prorsus argumentum. Tabulis enim probanda haec sunt, non solis auctorum nominibus definienda. Sed paucis me expediam. PAPEBROCHIUS sui ipsius est interpres. Non affirmat ille Rom. Pontifices, atque Conciliorum Patres falsis doctrinis usos fuisse, quae in adulterinis essent decretalibus; sed tantummodo deceptos illos fuisse quoad nomina Pontificum, quibus illae

illae falso erant inscriptae; addit enim PAPEBROCHIUS; *hos quidem* (R. Pontifices) *nil aprobasse* (ex iis decretalibus) *a Fide, aut moribus Ecclesiae abhorrens*. In obiectis autem verbis superioribus ait epistolas *Pontificum falso inscriptas nominibus*. In hoc quoad historiam nominis, non autem in fide aut morum doctrina erasse Pontifices aut Concilia docet PAPEBROCHIUS. Temporibus autem Concilii Tridentini, quibus, ut antea dictum est, plures iam de falsis hisce decretalibus cogitaverant, dubium sane non erat, quin ab eiusdem Concilii Patribus adhiberentur adulterinae epistolae, falso Pontificum nomine inscriptae.

VIII.

His contentos haud esse nos oportet. Ea nimirum, antequam singularem NESTIO afferamus responsionem, de hisce decretalibus epistolis generatim adnotanda sunt, quibus effroenata quaedam et coeca plurium recentiorum in Ecclesiae potestatem invidia, et impotens quaedam cum petulantia ac dedecore coniuncta rerum ignoratio prorsus tandem compescantur. FEBRONIUS ipse, vir in speciem eruditus, sed, ut a quodam scriptore depingitur, *imbecillis, delirus et iracundus senex, probrosi operis consarcinator*, opponit sicut NESTIUS ipse, Tridentinum, quod fatetur oecumenicum Concilium, emendandum esse, ubi illarum decretalium doctrinis usi fuere Tridentini Patres. At nos cum DOUIATIO, scriptore Gallo (*Praenot. Can.* lib. II. cap. XXII. §. VII.) gratias certe habemus maximas BLONDELLO Calviniano, qui Magdeburgensium caussam contra TURRIANUM propugnans, omnia fere quae ad eam rem pertinent, si non eisdem Pontificibus, quorum nominibus inscriptae sunt epistolae, aliis saltem Patribus, Ecclesiasticisque vetustis-

 simis

simis scriptoribus optimis placuisse ostendit. Praeterea PETRUS DE MARCA (*Concord.* lib. III. c. V. num. 1.) et NATALIS ALEXANDER (*Dissert.* XXI. in Saec. I.) quos FEBRONIUS ut magistros veneratus est, doctrinarum, quae in iis epistolis continentur, patrocinium suscepere. Nam PETRUS DE MARCA scribit: *Io eo suffragari non possum* (BLONDELLO) *quod atrocioribus verbis epistolas dilacerat, quas è sententiis et verbis legum, canonum antiquorum et SS. Patrum, qui III. et V. saeculo floruerunt, si pauca demas, concinnatas esse constat.* Haec vero pauca forte sunt illa, quae spectant ad Episcoporum iudicia a Rom. Pontifice instituenda, quae quidem ait PETRUS DE MARCA, vetustioribus canonibus repugnare; quasi vero mutatis lapsu temporum, circumstantiis non potuerint iudicia haec ad supremum Ecclesiae universae Pastorem transferri. Sed huius loci non est de his disserere, quae iam ab aliis diligenter pertractata sunt. NATALIS vero ALEXANDER observat, epistolas easdem magnopere laudatas a Conciliis atque Rom. Pontificibus, quod sanioribus dogmatum ac disciplinae doctrinis abundarent. Insuper Card. BONA, vir sanae doctrinae, ac multae eruditionis Ecclesiasticae (lib. 1. *Rer. Liturg.*) affirmat, easdem ex veterum canonum, legum etiam civilium, et SS. Patrum sententiis fuisse compositas. Idem tulere de iis iudicium clarissimi, doctissimique viri BARONIUS, SIRMONDUS, PETAVIUS, LABBAEUS, CHRISTIANUS LUPUS, aliique plurimi; quinimo et veteres Galliarum Episcopi, (apud HINCMAR. *opusc.* LV.) etsi subspiciarentur de nominum, quibus inscriptae erant, falsitate, attamen iusta de caussa optabant magnopere, ut ab Ecclesiasticis viris summo cum honore, summaque cum

uti-

utilitate pervolverentur. Atque hinc est, quod plures ex antiquis scriptoribus existimaverint, easdem à S. ISIDORO Hispalensi Episcopo viro doctissimo et pientissimo collectas; tantum sane abest, ut illae quidquam contineant, quod Ecclesiae aut dogmatibus, aut aliis institutis repugnent. Si ergo et Concilia ipsa aliquid laudaverint, quod in iisdem contineatur, id approbarunt, quod communis et sana ferebat Ecclesiae doctrina.

IX.

Praeterea CAROLUS BLASCUS Neapolitanus (in libro inscripto: *de collectione canonum Isidori Mercat.*) vir ingenio et eruditione praestantissimus demonstrat, Isidorianum aedificium ad sustentandam Rom. Cathedrae auctoritatem minime fuisse constitutum; eamque Rom. Apostolicam Sedem principatu in Ecclesia divinitus donatam falsis huiusmodi decretalibus nunquam indiguisse; ac Rom. Pontifices non solum absque dolo et culpa eisdem aliquando monumentis usos fuisse, sed moderate admodum, ut ferebant eius Apostolicae Sedis privilegia ex genuinis fontibus hausta; quin etiam pluribus demonstrat, ISIDORI MERCATORIS mentem fuisse, ut sua canonum collectione indemnitati Episcoporum maxime consuleret, atque Primates Patriarchis exaequaret: imo eumdem quandoque tantam tribuisse Episcopis auctoritatem, ut Rom. Pontificibus videatur iniurius; solide eos refellit, qui oblatrant, ex hisce falsis decretalibus auctam Rom. Pontificis auctoritatem; ex eius vero argumentis intelligitur, ineptos improbosque Rom. Sedis Apostolicae inimicos, quaedam decerpsisse ex iis Isidorianis epistolis loca, quae primo adspectu videntur eorumdem opinionibus favere, quum tamen re diligentius, ac sine partium studio perpensa nil tale contineant, in

quo tam dira odia ipsi iure collocare possint.

X.

Denique et illud iterum admonendum est, Tridentini Concilii Patribus ignoratam non fuisse illarum decretalium sive falsitatem, sive de iisdem gravissimas doctorum hominum subspiciones. Quamobrem, quodcumque feratur de antiquioribus iudicium, si Tridentinis Patribus illam defuisse nolint, quam NESTIUS habet iisdem positis circumstantiis prudentiam, fateri quisque vel invitus tenebitur, nil ab iisdem sanctissimis, ac SPIRITU S. adiutis Tridentinis Patribus fuisse definitum, quod unico tamquam fundamento adulterinis sive supposititiis decretalibus niteretur, sed omnia ab iisdem incorruptis iudicibus definita ac comprobata ex ea, quam omnes Tridentini Episcopi noverant incorruptam Ecclesiae doctrinam.

XI.

Ad NESTIUM redeamus, atque eius argumentum huc revocemus. Inquit ille, supremum Ecclesiae in matrimonium ius ex adulterinis EVARISTI, FABIANI, et CALLISTI Rom. Pontif. decretis profluxisse. Miror vehementer, NESTIUM id asserere, quod in Tridentini Concilii historia nullum prorsus habet fundamentum. Ipsum tamen NESTIUM audiamus. Pontifices appellat, eorum verba non recitat. Nos ea decreta diligenter perscrutati sumus; nil prorsus in eisdem invenimus, quod generatim definiat supremum Ecclesiae ius in Christianorum connubia. Ergo Tridentini Patres, nisi somniantes eosdem efficias, non potuere ex apocryphis illis decretalibus epistolis eruere generale ipsius Ecclesiae ius in matrimonia Christianorum. Forte illis in promptu minime fuit exemplar decretalium, quod possidet NESTIUS. Sed nos adhuc illud optamus.

XII.

Nugas appellaverit NESTIUS. Si enim in eisdem epistolis tribuitur Ecclesiae ius constituendi impedimentum aliquod; ergo generalis eidem in matrimonii impedimenta auctoritas conceditur. Recte ne interpretor? At si affirmes, Ecclesiae tributam a Tridentinis Patribus potestatem in matrimonia ex auctoritate illarum decretalium; iam concedas oportet, eosdem Patres adeo veneratos esse huiusmodi epistolas, ut illarum auctoritas satis ipsis fuerit ad decernenda matrimonii impedimenta; ergo quoniam ais universalem huius generis potestatem Ecclesiae tributam ex hisce epistolis, concedas etiam oportet Tridentinos Episcopos ea omnia in Concilio definiisse impedimenta, quae in eisdem decretalibus continentur; atque ea saltem, de quibus fuit aliqua in Concilio ipso disputatio; quod haec facile ex earumdem epistolarum auctoritate definita a Patribus fuisset. Secus vero, si Tridentini Episcopi aliqua tantum selegerint ex iis decretalibus impedimenta, de aliis vero in iisdem contentis non fuerint solliciti; quinimo si quod in epistolis eisdem statutum est Patres illi non approbaverint, tunc non epistolarum auctoritate, sed suo innixi fuissent ingenio vel aliis Ecclesiae monumentis. Praeterea si in iisdem decretalibus impedimenta praescripta sint, quae et recta suadet ratio, et quae vel ab ipsis Imperatorum legibus constituta sunt, vel quae eisdem minime repugnant; consequens erit profecto, Tridentinos Patres ea impedimenta non elicuisse ex corruptis fontibus, quos odio habere debeat NESTIUS. Perspicue ne tradidi id quod sentio? Rectene haec statuta sunt a me principia? Alterutrum vero ex iis, quae supra diximus satis erit contra NESTII accusationem me demonstrasse de decretalibus illis epi-

stolis; sed utrumque demonstrare possum.

XIII.

Postremum quod levius est ostendamus in primis. In decretis, quae FABIANI nomine recitavit GRATIANUS, praecipitur, furiosorum impediendum esse, non vero dissolvendum coniugium; ac recte quidem; nam quoad primum evidens est impedienda esse coniugia, de quorum tranquillitate moralis non adest certitudo; quoad alterum, fieri potest ut a morbo furiosus convalescat. Statuitur deinde, affines in quinta generatione copulari posse, quod pariter concedunt leges civiles; demum iubetur, si inter propinquos inita fuerint matrimonia, eosdem separandos esse; atque eisdem indicitur poena ut seiuncti vivant, nec alias sibi uxores possint in coniuges sociare, nisi tamen ignorantia excusentur; nimirum, ut arbitror, omnibus coniugibus, qui consanguinitatis laborant impedimento, indicitur separatio, sive coniugii dissolutio, cum hoc tamen discrimine, ut qui impedimenti ipsius conscii matrimonium contraxerint, separati semper ab illegitima coniuge vivant, qui vero impedimentum illud ignoraverint, a prima illegitima uxore seiuncti aliam ducere possint; secus et dolis ac fraudibus in prima hypothesi latissimus pateret aditus; in altera vero poena sine crimine infligeretur. Nil ergo in hisce decretis est reprehendendum; neque enim in iis quidquam est, quod cum recta ratione, aut cum civilibus legibus non possit optime consociari.

XIV.

Neque vero in iustam aliquam reprehensionem incidere possunt, quae habet CALLISTUS Epistola II. num. III. (in prima enim nullum est de matrimonio verbum). *Coniunctiones*, inquit, *consanguineorum fieri prohibentur, quando has et divinae et sae-*

saeculi prohibent leges. Leges ergo divinae hoc agentes, et eos qui ex eis prodeunt non solum eiiciunt, sed et maledictos appellant. Leges ergo saeculi infames tales vocant, et ab haereditate repellunt; Nos igitur pariter infamia notamus. Quis enim dubitat, leges humanas rationi et honestati non repugnantes esse amplectendas, praesertim ubi vel publicae consulunt utilitati, vel Ecclesiasticae dignitatis auctoritatem defendunt? Eos autem consanguineos dicimus, quos divinae et Imperatorum ... leges consanguineos appellant .... tales enim coniunctiones nec legitimae sunt, nec manere possunt, sed sunt repellendae. CALLISTUS ergo non nova impedimenta statuit, sed quae divinis et Principum legibus erant iam constituta. De his enim postremis ea obtinet ratio ipsa, quam IUSTINIANUS (l. 1. ff. de veter. iur. enucl.) protulit inquiens: *omnia merito nostra facimus, quia ex nobis omnis eis impertitur auctoritas*. Iam vero si dixerim, CALLISTI verba non legisse NESTIUM, arbitror me a veritate minime discedere; secus dum ipse CALLISTI epistolam de dirimentibus matrimonium impedimentis improbat, necessario quoque Imperatorum ac Principum leges a R. Pontifice laudatas improbaret; quod nefas est de NESTIO subspicari. Se ipsum ergo reprehendat necesse est, dum decretales illas epistolas, quas vel consuluit, vel nunquam legit, immerito prorsus accusare pergit.

X V.

Quod siquid forte reprehendendum in EVARISTI litteris iudicet, videat, ne hoc ipsum demonstret inane et contradictorium eius contra Tridentinos Patres argumentum. Contendit ille, nihil auctoritatis in iis Tridentinis canonibus esse, quod ex EVARISTI etiam litteris sint deprompti. At si Triden-

dentinorum Patrum doctrina EVARISTI decreto repugnaret, num dici forte posset, quod ait NESTIUS, ex huius Pontificis epistola haustam esse illorum Patrum doctrinam? Verum ita se habet res. EVARISTUS enim ait: *aliter legitimum non fit coniugium, nisi ab his, qui super ipsam foeminam, et a quibus custoditur, uxor petatur; secus adulteria etc.* Ergo huiusce decretalis epistolae auctor irrita decernit coniugia contracta sine consensu parentum, sive custodum foeminae, quae uxor fieri velit; secus enim non coniugia, sed adulteria eadem appellat. Atqui Tridentini Patres petentibus rogantibusque, et quasi flagitantibus Galliarum Episcopis atque Christianissimi Regis Oratoribus, qui Concilio intererant, nunquam tamen coniugia filiorum familias sine parentum consensu contracta irritanda censuere; licet infecta definierint clandestina coniugia, quod vehementer optaverant iidem Galliarum Episcopi et Oratores; evidens proinde est, Tridentinos Patres in condendis decretis, quae sunt de dirimentibus matrimonium impedimentis nullam habuisse rationem auctoritatis apocrypharum decretalium; sed si quid definiere, quod in iisdem contineatur, hinc consequens est, non definitum a Concilio propterea quod in illis epistolis illud scriptum reperissent, quasi earum satis eisdem esset auctoritas, sed quod ex genuinis aliis fontibus, ex quibus ipsarum Epistolarum haustae fuerant sententiae, ipsi quoque easdem delibaverint. Mirum ergo est, eos qui apocryphas decretales obiecere, tam turpiter in hoc errasse, ut iniuriam sibi ipsis ac suis Principibus attulerit, quam in oecumenici Concilii Patres peculiari Numinis auxilio dogmata definientes, atque in tot alios Theologos, et Iurisperitos doctissimos Episcoporum adiutores inferre voluerint.

C A-

CAPUT VIII.

Ostenditur minime definita a Tridentino Concilio eadem Ecclesiae auctoritas ex opinione de indirecta ipsius Ecclesiae potestate in Regum temporalia.

I.

Restat ut ad examen revocemus, quod superius dixit NESTIUS de indirecta Ecclesiae potestate in Regum temporalia; cuius quidem potestatis opinione suffultos ait Tridentinos Patres condidisse superius memoratos de Ecclesiae potestate constituendi dirimentia impedimenta canones; sicuti ait se demonstrasse iam, quod ipsi Iudices oecumenici Concilii ex eadem potestate indirecta irritaverint clandestina coniugia. Quod nos iure, ac necessario respondemus huic argumento, illud est quod antea alteri respondimus ex apocryphis decretalibus petito. Quaestio illa de indirecta Ecclesiae potestate in Regum temporalia vetustissima est, sicuti optime norunt eruditi; ergo ignota non erat Tridentinis Patribus; qui noverant praeterea Regum iura acriter defensa ab Oratoribus Christianorum Regum, atque ab ipsis praesertim Galliarum Episcopis. Noverant insuper Tridentini Patres nil de potestate illa indirecta definitum ab Ecclesia. Itaque non poterant eam opinionem sibi sumere tamquam fundamentum, cui innixum vellent fidei dogma. At illi tamquam dogma definiere Ecclesiae potestatem constituendi dirimentia matrimonium impedimenta; ergo nefas est Catholico viro asserere, Patres Trident. eadem opinione ductos Fidei dogmata condidisse. Nestianum argumentum hanc a nobis efflagitabat responsio-

sionem ex Tridentinorum canonum natura superius demonstrata deductam.

II.

Ceterum, quoniam veritati semper amica est veritas, propterea ex recta etiam ratione satis NESTIO facere possumus. Tridentini Patres, inquit, indirecta illa potestate innixi irritarunt clandestina coniugia; ergo eadem potestate usi sunt ad condendos canones, in quibus decernitur posse Ecclesiam statuere impedimenta matrimonium dirimentia. Verumtamen etiamsi falsa non esset antecedens huius argumenti propositio, claudicaret tamen ea, quae inde elicitur consequutio. Irritatio enim clandestini coniugii ad Reformationem, sive ad morum disciplinam pertinet; canones vero de potestate Ecclesiae statuendi impedimenta matrimonium dirimentia, dogmatici sunt omnino, ut demonstratum evidenter a nobis est. At illi, qui nobis Ecclesiam defendentibus repugnant, magnopere distinguunt inter canones, qui ad dogmata, atque inter illos, qui ad disciplinam tantummodo pertineant, ut infinitum fere inter eorum valorem fateantur discrimen; quamobrem quum diversa sit eorumdem intima ratio, aequationis argumentum institui ex iisdem nequit. Atque hoc quidem si de iure, ut ita dicam, tantum loquamur. De facto enim ipso multa saltem iniici debet dubitatio; ex eo enim quod ex hypothesi constaret Patres Tridentinos irritantes clandestina coniugia, innixos fuisse potestate illa indirecta, non consequitur profecto idem eos adoptasse principium in definiendis aliis dogmaticis canonibus. Nam de illa potestate indirecta fuisse apud aliquos Tridentini Concilii Theologos mentionem constat, si NESTIO fides, quum sermo esset de irritandis clandestinis coniugiis; ex Concilii vero historia minime no-

novimus de eadem potestate factam mentionem fuisse, quum de constituendis canonibus dogmaticis actum a Patribus et Theologis fuit. Quinimo, si rectae rationis vocem exaudire velimus, promptum est iudicare, cogitatum prius in Concilio fuisse de generali Ecclesiae potestate constituendi dirimentia connubiorum impedimenta, ac primum de hac re constitutos fuisse canones; tum vero diuturnis gravissimisque quaestionibus disceptatum fuisse, dissentientibus hinc inde Patribus ac Theologis, de irritandis clandestinis coniugiis. Primum enim erat contra haereticos, alterum inter Catholicos definiendum. Num vero tanto temporum intervallo, num tanto animorum aestu fuisset de clandestinis matrimoniis disputatum, si Patrum ac Theologorum animis insedisset iam antea opinio illa de indirecta potestate? Num haec, quae si NESTIUM audias, allata fuit a quodam disputante Theologo, postremo tandem loco fuisset eo exitu Patribus proposita, ut ex ea solum illico definitum fuerit de matrimoniis illis irritandis? Si eamdem Patres approbantes condiderant iam canones alios dogmaticos de generali Ecclesiae potestate in dirimentia connubiorum impedimenta, num opus fuisset tam diuturnis quaestionibus rem alteram agitare? Quum ergo ex Concilii historia non constet, Patres definientes generalem illam Ecclesiae potestatem usos fuisse indirectae illius potestatis opinione, quum deinde rectae rationi id videatur vehementer repugnare; consequens est, illationem NESTII vel falsam, vel saltem, ut plurimum nunc ipsi concedam, multa dubitatione implicatam.

III.

Atqui eadem consequutio, si rem diligenter perpendamus, ex falso principio ortum habet; neque

que enim, etiamsi historiam illam admittere velimus, concedere unquam NESTIO possumus, Tridentinos Patres, matrimonia clandestina irritasse ex opinione de indirecta illa potestate. Hoc sibi certum sumit NESTIUS, his recitatis PALLAVICINI ut ipse ait, verbis: *Quum a Tridentinis Patribus ac Doctoribus quaererentur rationes, quibus haud mutata Sacramenti natura, clandestinum matrimonium posset irritum fieri declararetur, CAMILLUS CAMPEGIUS eam invenit et proposuit, non mutari videlicet Sacramentum, etiamsi quis efficiat, ut quod Sacramenti materia est, desinat Sacramenti materia esse. Qui autem civilem matrimonii contractum sustulerit, personas ad contrahendum reddens inhabiles, omnino effecturum dixit, ut matrimonii contractui non possit amplius Sacramenti superesse materia ... CAMILLO CAMPEGIO ... ANTONIUS SOLISIUS reclamavit, non quod inquiens CAMPEGII vera non esset speculatio, sed quod eam ad institutum applicari non conveniret, quia eiusmodi contractus sic irritos ac nullos facere ad saeculares magistratus pertineret. Inventus a CAMPEGIO rescindendi clandestini coniugii modus Tridentinis Patribus omnino placuit*, qui tale de clandestinis dirimendis matrimoniis edidere decretum. *Qui aliter etc. Ex quibus* (latine a NESTIO recitatis Cap. VI. pag. 65. 66.) inquit, *illud efficitur et cogitur, quod Tridentini Patres dum clandestina matrimonia decreverunt infecta, nec aliud sibi habuere propositum, quam ut cives ad contrahendum matrimonium inhabiles redderent, ipsamque civilem nuptiarum pactionem tollerent atque dirimerent*. Ergo concludit *Tridentinos Patres in suis conficiendis nuptialibus decretis illa, quae tunc temporis latissime patebat, usos potestate fuisse*.

IV.

§. IV.

Verum in primis audiat NESTIUS, quae in hanc rem dicta prudenter sunt a TAMBURINIO §. LXXXXVI. p. 248. *Id unum scio*, inquit, *doctissimos viros, quos certo constat multum abhorrere ab ea potestate indirecta Ecclesiae tribuenda, ipsi tamen tribuere ius constituendi impedimenta dirimentia. Quos quum non audeam contradictionis arguere, eo adducor ut credam, eos moveri rationibus aliis ab opinione de potestate Ecclesiae indirecta. Revera sententiam suam probant testimoniis antiquitatis et exemplis per multa saecula deductis; ac missis iis canonibus* (vetustissimis) *qui commode explicari possunt de impedimentis impedientibus, non dirimentibus, illud constare aiunt, Ecclesiam ius habuisse corrigendi vel ipsas leges civiles, ubi quidpiam fortasse* (idest certe) *in illas irrepserit contrarium iuri divino vel naturali, ut contigit circa leges permittentes divortium quoad vinculum ob coniugis diuturniorem absentiam*. NESTIUS etiam meminerit eius, quem semper honoris causa nominavit ESPENIUM, asserentem Ecclesiae in dirimentia matrimonia potestatem propriam (vid. Cap. IV. §. VII.) et a primis usque saeculis ductam, approbantem opus GERBESII scriptoris Galli affirmantis hanc a CHRISTO Servatore profectam, ac demum fatentem, iure a Tridentina Synodo, Traditioni, non Principum auctoritati innixa, definitam Ecclesiae potestatem constituendi dirimentia matrimonium impedimenta: meminerit inquam ESPENIUM, indirectae illius potestatis vituperatorem, haec tamen veritate coactum affirmasse. His addendum etiam est, quod nemo forte sibi suaserit, quum nec mihi in mentem venerit, nempe LAUNOIUM ipsum, ut demonstrat evidenter LEULLIERIUS (*Observat.* VIII. *in LAU-*

NO-

NOIUM) admisisse Ecclesiae potestatem illam indirectam, etiam quoad matrimonii impedimenta in aliqua difficillima quidem, non tamen contradictoria hypothesi. Adde pariter et nuperrimum scriptorem *de l'autorité des deux puissances*, qui contra LAUNOIUM demonstrat Ecclesiae potestatem in dirimentia matrimonium impedimenta, pluresque alios scriptores Gallos nostrae ac recentis memoriae, qui idem omnino sentiunt. Hinc vero illud argumentum necessario sequitur, vel nullo modo Ecclesiam hac auctorirate in dirimentia impedimeeta utentem, rationem habere indirectae illius potestatis, vel potestatem Regiam ex horum scriptorum sententia ita non esse amplificandam, ut Ecclesia uti sua potestate non possit in impedimenta illa; sicuti omnes eidem Ecclesiae concedunt auctoritatem indicendi dies festos, et ieiunia, aliaque plurima, quae in speciem videntur illud attingere, quod aliquam habet cum civili Repub. rationem. Ergo et auctores, qui non agnoscunt indirectam illam Ecclesiae potestatem, admittunt tamen ac iure fatentur, oppositae opinionis veluti exceptionem agnoscendum esse Ecclesiae auctoritatem constituendi impedimenta matrimonium dirimentia.

V.

Observandum praeterea est, saepe in Conciliis agitatas pluribus argumentis hinc inde propositis quaestiones, nec semel de eadem re diversis rationibus fuisse disputatum: convenisse tandem Patres aut omnes, aut plerosque in determinatam aliquam sententiam, nec omnes tamen ob eamdem rationem. Disputationem huiusmodi, sive consiliorum collationem esse in Conciliis instituendam ex eo fatentur omnes, quod etsi in ipso definitionum dogmaticarum actu oecumenicae Synodi Patribus coeleste SPI-

SPIRITUS S. adsit auxilium, quo infallibiles sint definitiones ipsae; attamen ne Deus tentetur, adhibenda primum esse humana media a Deo ipso proposita ad obtinendum id, quod vehementer ad Catholicae Religionis utilitatem postulatur. Sed quaecumque tandem sit hominum diligentia et sollicitudo, nunquam tamen ex naturalibus hominum eorumdem viribus divinum fieri potest, quod humanum est; nimirum divinam infallibilitatem nunquam obtinere id potest, quod humano tantum ingenio definitur. Quotquot enim sint in oecumenico Concilio Episcopi, quotquot fuerint eorum in veritate investiganda labores, quaeque tandem sit inventae ab eisdem veritatis aut evidentia, aut certitudo theoretica, nunquam illa eius generis est, ut cum absoluta infallibilitate coniuncta censeri possit; secus finitum infinito aequale esset. Ergo in ipso definitionum actu ad servandam Ecclesiae infallibilitatem adsit oportet extraordinarium divini SPIRITUS auxilium eo fine, ut quod definiendum a Patribus est, infallibilitatis donum obtineat. Quaecumque igitur fuerit ratio, quae antea permoverit Oecumenici Concilii Patres ad praestandum alicui propositioni assensum, ipsa tamen propositionis illius definitio, divinitatis instinctu facta infallibilis est. Aliud est enim quod ab oecumenicis Patribus definiatur latis suffragiis propositio, aliud vero est, quod eadem ratione definiatur ratio propositionis eiusdem. Si definitam hanc rationem minime invenias, nunquam diiudicare poteris eam fuisse praecipuam ipsius definitionis caussam. Quamobrem reiicias quidem, si tibi placuerit, quam existimas propositionis rationem; integrum tamen Catholico non erit definitionem ipsam, quam divinitus traditam venerari debet, sicuti falsam aut dubiam reiicere. Si Patres ut humano utan-

tur medio, consilia de propositione definienda simul conferunt; praecibus etiam sanctissimis postulant a Deo, quod ipse certo pollicitus Ecclesiae suae est infallibilitatis donum. Quare Tridentini Concilii Patres immediate antequam dogmatica ederent de matrimonio Christianorum decreta, atque illud ipsum ad disciplinam spectans de clandestinis coniugiis, non instituta disputatione, sed SPIRITUS S. opem oblato incruento Sacrificio vehementissime implorarunt. Videat ergo tandem NESTIUS, ne sua ratiocinandi methodo dogmaticas, aliasque Oecumenici Concilii definitiones eiusdem omnino generis traducat, sicuti civilis magistratus definitiones atque consilia.

VI.

Verum quid in his immoramur? Audi, quaeso, quem heic habemus scriptorem nobis adversantem. Diligentissime, ut par erat, ac diuturno labore in PALLAVICINII, quem NESTIUS appellat, historia Tridentini Concilii, inspectis etiam pluribus eiusdem Historiae editionibus, inquisivi textum, quem ipse bis protulit: praeterea Vaticani Archivii monumenta, aliaque alibi consului accuratissime. Inanis labor omnis. Subspicari nolebam nec de fraude, nec de oscitantia THOMAE NESTII; neque enim arbitrabar iura Principum hoc lucidissimo saeculo defendi a scriptore eorumdem subdito monumentis aut falsis aut dubiis; subspicandum tamen fuit; praesertim quum ipse indicare diligenter soleat scriptorum loca, bis vero recitaverit verba illa, nullo indicato historiae PALLAVICINII loco. Quum vero viderim alia ab ipso recitata scriptorum testimonia, non ut leguntur in eorumdem operibus, sed ut apud LAUNOIUM, quem ipse nunquam meminit, LAUNOIUM consului, atque in ipsius opere *de Regia in Matrimonium potestate* P. I. art. I. cap. xv. eadem

pror-

prorsus latina verba perlegi, quae habet NESTIUS, usque ad SOLISII responsionem, nempe usque ad verba haec *ad saeculares magistratus pertineret*. Prosequitur deinde NESTIUS (pag. 63.) sub eadem orationis serie: *inventus a Campegio rescindendi clandestini coniugii modus Tridentinis Patribus omnino placuit*, qui tale de dirimendis clandestinis matrimoniis decretum edidere: *Qui aliter quam praesente Parrocho etc.* At post illa verba *ad saeculares magistratus pertinere*, scribit LAUNOIUS: *Haec in Tridentini Concilii historia; sed quid inde factum est? Inventus a Campegio rescindendi clandestini coniugii modus Tridentinis Patribus omnino placuit, insuperhabitis, quae SOLISIUS contra Campegianae speculationis usum disseruerat. Synodi verba adscribo e Sessione* xxiiI. Cap. I. de Reformatione Matrimonii: *Qui ailter etc.*

VII.

Si NESTIUS ex alio foro has merces advehit, responsionem afferam, quum ipse illud indicaverit; interim nullius erit roboris argumentum depromptum ex auctoritate illius, quem non constat auctoritatem obtinere, ac fidem sibi mereri. Si vero ex LAUNOIO illud desumpsit NESTIUS, primo quisque animadvertit, non dico malam fidem, sed NESTII inconsiderationem, qui legens in LAUNOIO: *haec in historia Concili Tridentini*, quoniam ea non reperit in huius Concilii historia a SARPIO conscripta, quam ipse ait se novisse, existimavit illico, appellari a LAUNOIO historiam a PALLAVICINIO exaratam. Praeterea illud elegantissimum est, quod NESTIUS eadem verba antea pag. 36. recitaturus ait, esse ex PALLAVICINIO deprompta; tum vero ipsa referens charactere a textu operis diverso, verba quoque illa: *haec in Concilio Trident. historia*,

eadem characteris diversitate edidit, sicut cetera. Ex quo quidem an levis, an gravissima suspicio sit, utrum NESTIUS ea mutuatus ex LAUNOIO fuerit, perspicaciorum esto iudicium. Maxima forte properantia, qua NESTIUS tantum opus, tantisque verborum sententiarumque ornamentis concinnatum protulit, sufficiens quidem, sed (magnopere displicet) obscurior caussa fuit, cur in hoc haud leve erratum vel invitus inciderit. Ergo LAUNOIUS generatim ait in *historia Concilii* commemoratam esse illam CAMPEGII opinionem, ac SOLISII responsionem; NESTIUS autem affirmavit id contineri in historia PALLAVICINII. Praeterea LAUNOIUS post opinionem CAMPEGII, responsionemque SOLISII dicens: *haec in Concilii Tridentini historia*, demonstrat sane quae sequuntur, petita non esse ex eadem historia; hoc enim affirmasset LAUNOIUS post alia quae addidit, quaeque si historiae auctoritatem obtinuissent, multo maioris ponderis ratio accessisset Launoianae propositioni. Ergo quae sequuntur, continent dumtaxat LAUNOII ipsius animadversionem, quam ipse arbitratus est, vel voluit incautis obtrudere, veluti necessariam consequutionem ex Campegiana opinione, et responsione SOLISII, atque ex Tridentini decreto. At NESTIUS ita rem narrat, quasi certo constet placuisse Patribus CAMPEGII opinionem, posita etiam illa de indirecta Ecclesiae potestate, et quasi illico iidem Patres hisce innixi fundamentis decretum ediderint irritans clandestina coniugia. Quid inde consequens sit, iudicent aequi rerum aestimatores.

VIII.

Postquam haec ego conscripseram, casu accidit, ut eadem fere, quae de hac re attulerunt LAUNOIUS et NESTIUS, recitata legerim a DROUVE-

VENIO, (de re Sacrament. lib. viiI. quaest. ult.) qui pariter appellat Concilii Tridentini historiam a PALLAVICINIO conscriptam, quique praeterea indicat eius historiae librum xxiI. in quo quidem longior est sermo de clandestinis coniugiis, sed nullum prorsus eorum verborum vestigium; ipse vero prudens omisit illa LAUNOII verba: *haec in historia Concilii*. Virum hunc doctissimum bono animo deceptum, quaecumque tandem intercesserit caussa, arbitrari necesse est. Malam LAUNOII fidem non accusabo, quamvis id iure possem, certe enim Scriptorum textus corrupit LAUNOIUS, ut in suis observationibus apte demonstrat LEULLIERUS, iniuria prorsus a quodam LAUNOII defensore reprehensus; ac certe idem LAUNOIUS eas totis viribus tentavit adscribere auctoribus opiniones, quarum contradictorias ipsi tuentur, ut mox de Angelico Doctore demonstrabo. Verumtamen, si velint LAUNOII patroni, nimis bonam eiusdem scriptoris fidem accusabo, quippe qui aures lubenter praebuerit inepto et invido alicui Scriptori illa narranti, ut praestare debebat, qui partium studio incensus vehementissime, rectis flexisque viis ad propositum sibi finem pertingere maxime inhiabat.

IX.

At qui PALLAVICINIO illud adscribit historiolae caput, num eius historiam pervolvit unquam? En quae habet PALLAVICINIUS de PAULLO SARPIO (lib. xxiI cap. viiI. n. 12. et seq.) *certamente in ciò che egli discorre della nuova costituzione sopra i matrimoni clandestini a gravissimo errore congiugne soverchia malignità. Questa dice, fu una esaltazione dell' Ordine Ecclesiastico; poichè un azione tanto principale nell' amministrazione politica ed economica, che sin a quel tempo era stata in sola* ma-

mano di chi toccava, veniva tutta sottoposta al Clero; non rimanendo via ne modo come far matrimonio se due Preti cioè il Parrocchiano, e il Vescovo per qualche rispetto interessati ricuseranno di prestar la presenza : nimirum *in eo sermone quem habet de novo in clandestina coniugia decreto, cum errore gravissimo vehementem coniungit improbitatem. Haec fuit, inquit ille, Ecclesiastici Ordinis exaltatio, quoniam actio, quae in civili et oeconomica administratione est praecipua, quaeque ad eam usque aetatem manserat apud eos, ad quos eadem spectabat, omnis prorsus Clero subiiciebatur; quum nec via nec modus superesset contrahendi matrimonii, si duo Presbyteri, Parrochus nempe atque Episcopus gravibus, sive emendicatis de caussis, adesse recusarent*. Quibus ita respondet Pallavicinius: *primieramente, gran cecità conviene, che allora fosse in tanti Oratori e Consiglieri de' Principi, i quali mostravansi pur attentissimi e gelosissimi nel custodir i diritti della podestà laicale, mentre non videro un pregiudizio si enorme; anzi tutti a gara promossero quel decreto, il quale affrontò bensì gran difficoltà ne Vescovi, ma niuna ne secolari. Oltre a che nemeno si ode, che nello spazio, e nell' uso di novantanni se ne sieno i Principi laici avveduti e pentiti: ne sento che i popoli Cattolici gridino di non potere liberamente contrarre i lor matrimonii, perchè i Preti non vogliano*; videlicet, *Primo oporteret, maxima coecitate laborasse tunc Principum Oratores et Consiliarios, qui accuratissimos et maxime anxios se praebebant custodes iurium laicae potestatis, dum non senserint gravissimum hoc eiusdem auctoritatis detrimentum; omnes imo certatim decretum illud suasere, quod quidem in gravem incidit apud Episcopos difficultatem, nunquam vero apud laicos. Praete-*

terea nec auditum est, nonaginta annorum spatio et usu laicos Principes hoc agnovisse discrimen, eosque poenituisse: neque auditum est, clamasse Catholicos unquam, se libere non posse coniugia inire, Presbyteris repugnantibus. Alibi insuper narrat PALLAVICINUS, eosdem Oratores eo animo fuisse in Concilio, ut nollent ab Episcopis quasdam definiri quaestiones (et hanc si recte memini) adhibito tantum solemni verbo *placet*: se ipsos plumbeos non esse, ac velle audire rationum momenta, quibus Episcopi ipsi decretum aliquod condendum esse censerent. Qui haec aliaque plura, quae brevitatis causa praetermitto, in PALLAVICINII historia perlegerit, num subspicari potuit narratum ab ipso, quod nobis opponit NESTIUS? Ergo omnia hucusque dicta simul colligamus: si historiam Concilii velimus consulere, inanis prorsus est illa suspicio; quod nimirum Tridentini Patres dogmata de matrimonii impedimentis definierint ex opinione de indirecta Ecclesiae potestate in Regum temporalia; si autem perpendamus naturam Oecumenicae Synodi, in qua fidei dogmata divinitatis instinctu abs Ecclesiae Pastoribus atque iudicibus definiuntur, eadem suspicio Catholicum virum quammaxime dedecet. Itaque et huic Nestianae difficultati aeternus imponatur lapis, cui inscriptum sit: IN FRONTE P. M. M. M. IN. AGRO. P. M. M. M.

CAPUT IX.

Demonstratur atque defenditur Angelici Doctoris sententia de Ecclesiastica potestate in dirimentia connubiorum impedimenta; ex qua sententia intelligitur mens quorumdam, qui nobis opponuntur tamquam Concilii Tridentini interpretes.

I.

ACutissimus LAUNOIUS, qui forensium more nullum non movit lapidem, ut susceptam caussam tueretur, atque ab eadem abstergeret erroneae novitatis maculam, immensam Academiarum, Theologorum, ac Iuris peritorum catervam collegit in eiusdem perditae caussae suae patrocinium. At LEULLIERIUS probare magnopere studuit, ne unum quidem ex laudatis a LAUNOIO patronis extitisse, qui in ea fuerit, quam LAUNOIUS adamaverat opinionem; scilicet ne unum quidem fuisse, qui propriam Ecclesiae denegaverit potestatem in dirimentia coniugiorum impedimenta. Eorum scriptorum causam, quae cultioribus eruditis molestissima accideret, non est cur ad examen revocemus. Pauca tamen in hanc rem sequenti Capite adnotabimus, quae nulla ratione praetermittenda sunt. Nunc enim de D. THOMA Doctore Angelico disserendum est duplici de caussa; primum quidem, quod LAUNOIUS testatus est, non aliam se propugnare in libro de Regia in matrimonium potestate, quam eiusdem D. THOMAE sententiam; quodque eodem auctore usi pariter sunt TAMBURINIUS ac NESTIUS; alterum vero, quod hi omnes innituntur etiam PETRI SOTI, qui Tridentino interfuit Concilio,

lio, scriptis tamquam interpretis D. THOMAE, atque eiusdem Tridentinae Synodi. Alteram et addere possumus caussam; quod nempe fateantur omnes, D. THOMAM virum fuisse ingenio eruditione, doctrina, potissimum vero sanctitate praestantissimum; cuius proinde auctoritas in hac re maximi momenti, quam non perfunctorie, sed ex instituto pertractavit diligentissime, tanti aestimari debet ponderis, ut plurimorum Theologorum auctoritati sit certe anteponenda; sicuti eam ceteris antecellere existimavit ipse LAUNOIUS.

II.

Hic ergo et NESTIUS ad suae opinionis defensionem afferunt verba, quae habet Angelicus in IIII. dist. XXXIV. art. 1. ad 4. quaeque huiusmodi sunt: *Matrimonium in quantum est in officium naturae, statuitur iure naturae; in quantum est Sacramentum, statuitur iure divino, in quantum est in officium communitatis, statuitur lege civili. Et ideo ex qualibet dictarum legum potest aliqua persona effici ad matrimonium contrahendum illegitima*. Addit NESTIUS aliud eiusdem Doctoris Angelici testimonium ex distinctione XXXVI. art. 5. in corp. *Matrimonium, quum fiat per modum contractus cuiusdam, ordinationi legis positivae subiacet, sicut alii contractus*; indicat praeterea et aliud ex lib. IIII. *contra Gentes* cap. LXXVIII., in quo haec habentur: *matrimonium in quantum ordinatur ad bonum politicum subiacet ordinationi legis civilis*; quae verba attulit etiam TAMBURINIUS. Quum igitur D. THOMAS hisce in locis nunquam meminerit, Ecclesiasticarum legum, consequens erit ex eius sentsntia Ecclesiam non posse statuere matrimonii impedimenta dirimentia, quae matrimonium minime respiciunt ut sacramentum, sed tantummodo ut civilem contractum.

III.

III.

Ex hisce Angelici Doctoris testimoniis primum sibi obiecit IACOBUS CLEMENS in laudato opere *du puvoir de l'Eglise sur le Mariage etc.* pag. 137., cuius longiorem responsionem ad pauca haec revocabimus. Ait ergo verborum illius Doctoris sensum non esse, ut lex civilis quemcumque inhabilem reddere possit ad matrimonium contrahendum, sed unamquamque ex iis legibus efficere posse, ut aliquis ineundo coniugio habilis non sit; nimirum legem naturalem, quae omnibus hominibus communis est, posse impedimenta statuere relate ad omnes, eos etiam, qui nullius imperio subsint: legem civilem, quae matrimonium respicit dumtaxat ratione habita ad commune Reipub. bonum, posse condere impedimenta civilia relate ad subditos infideles, quorum connubia sunt contractus tantum, ut ipse ait, profani, idest naturales et civiles: Ecclesiam denique non posse invalida definire nisi Christianorum coniugia, quae quum in eorum societate evecta sint ad Sacramenti naturam, propterea tum ex eorumdem essentia, tum ex ipsorum effectibus gradum habent legibus civilibus multo nobiliorem. LEULLIERIUS autem *Observatione* II. §. II. respondet, Angelicum eo in loco non agere aut de matrimonii impedimentis, aut de auctoritate eorumdem constituendorum; qua de re satis egerat in IVI. *Sententiarum*; sed tantummodo explicare diversos coniugii fines, et diversorum huiusmodi finium ratione velut diversis legibus matrimonium esse obnoxium. Subiicit ergo Angelicus coniugia diversis legibus, sed minime declarat se illa subiicere diversis legibus aliter ac ipse eadem subiecerat in IVI. *Sententiarum*. Atqui his in locis obnoxia voluit coniugia legibus Ecclesiasticis quoad impedimenta dirimentia;

haec

haec ergo quae opponuntur ex Angelico, sunt interpretanda iuxta doctrinas superius ab eodem perspicue traditas.

IV.

Has oportet consulere, ut de tanti Doctoris mente constet evidentissime. Ille ergo tam generatim loquutus de matrimonii legibus, quam singillitam de dirimentibus eiusdem impedimentis, in haec tribuit propriam Ecclesiae auctoritatem. In ipso obiecto loco ex libro IIII. *contra Gentes* cap. LXXVIII. scribit: matrimonium *in quantum ordinatur ad bonum Ecclesiae, oportet quod subiaceat regimini Ecclesiastico*. Praeterea in *Quodlibet* V. art. V. ait: *Ecclesia in his, quae ad matrimonium pertinent se habet tripliciter, uno quidem modo per modum iudicantis .... alio modo se habet per modum cohibentis ... tertio modo se habet per modum statuentis, quod fit solum auctoritate summi Pontificis, et secundum hoc personae aliquae redduntur illegitimae, ut patet in aliquibus gradibus consanguinitatis et affinitatis etc.* Idem S. Doctor *distinctione* XXXX. art. IIII. de consanguinitatis gradibus sermonem habens inquit: *Sicut Deus non iungit illos, qui coniunguntur contra divinum praeceptum, ita nec coniungit illos, qui coniunguntur contra Ecclesiae praeceptum, quod eamdem obbligandi efficaciam habet, quam praeceptum divinum*. Idem dixerat in argumento quod appellant *sed contra*. In eo scribit: *Sicut olim matrimonium gentilium dispensabatur per leges civiles, ita nunc per statuta Ecclesiae. Sed olim lex civilis determinabat gradus consanguinitatis, qui matrimonium impediunt, et qui non; ergo et modo potest hoc fieri per Ecclesiae statutum*. Pergit vero S. Doctor: *Ecclesia suo statuto non facit, quod aliqui sint aut non sint consanguinei, sed fa-*

facit, *quod carnalis copula sit licita vel illicita secundum diversa tempora in diversis gradibus consangninitatis*. Sic distinctione xxxvɪI. q. ɪ. art. ɪ. ubi quaerit, an Ordo matrimonium impediat, inquit, *quod impediat matrimonium*, *ex constitutione Ecclesiae habet*. Iam vero *distinctione* xxxxɪI. q. ɪ. art. ɪ. de spirituali cognatione affirmat, quod ea matrimonium impediat *ex Ecclesiae statuto*: ita ex eodem *Ecclesiae statuto distinetione* xxxvɪI. q. ɪI. art. ɪI. respondet, uxoricidium esse matrimonii impedimentum, a quo aliquando dispensari potest *per Ecclesiam*: ita disserens Doctor Angelicus de singulis matrimonii impedimentis, Ecclesiae auctoritatem semper commemorat: sermonem vero habens de aliquo impedimento a civili lege inducto, ut de impedimento ex adoptione orto, in ɪɪɪI. *distinct.* xxxxɪI. q. ɪI. art. ɪI. ad ɪɪɪI. inquit: *talis prohibitio est per Ecclesiam approbata*; *et inde habet*, *quod legalis cognatio matrimonium impediat*. Denique de hoc ita generatim ibidem statuit, *dicendum quod prohibitio legis humanae non sufficeret ad impedimenta matrimonii nisi interveniret Ecclesiae auctoritas*, *quae idem interdicit*. Ergo Angelici doctrina est, matrimonium ut sacramentum ad Ecclesiae propagationem institutum, et eiusdem matrimonii impedimenta pertinere ad ipsius Ecclesiae potestatem, ita ut quae a legibus civilibus statuta sunt, per se vim non habeant, nisi accedat eiusdem Ecclesiae auctoritas. Qua ratione consociari haec debeant cum obiectis eiusdem Doctoris testimoniis dicemus ubi afferenda est Launoianis animadversionibus responsio.

V.

Acutissimus enim LAUNOIUS his minime aquievit praeclarissimis Angelici doctrinis. GALESIO nam-

namque afferenti locum illum, in quo S. Doctor affirmat, humanae legis prohibitionem minime sufficere ad matrimonia dirimenda, LAUNOIUS Cap. x. contra GALESIUM respondit, ex tribus locis praecedentibus, nimirum *distinct.* xxxvI. art. v. in corp. = *distinct.* xxxx. art. nI. in corp. = *distinc.* xxxxnnI. art. I. ad nnI. *locum illum*, quem sibi asperrimum persensit, *intelligendum ac emolliendum esse: Haec Ecclesiae*, inquit, *de qua loquitur, auctoritas, non ad vim legis, quasi ex se* (lex civilis) *non perfecte vel idonee obbligaret; sed ad solemnitatem legis maiorem referenda est; alioqui pugnaret secum; nam in tribus locis praecedentibus loquitur de lege civili, quae ex se matrimonium dirimat; in hoc quarto loqueretur de lege civili, quae ex se matrimonium non dirimeret, nisi Ecclesiae interveniret auctoritas, qua in legem perfecte obbligantem adornaretur. Ad haec, quum Ecclssiae auctoritas spiritualis sit, non civilis, haud posset legem imperfectam civilem, perfectam reddere, quia diversi ordinis et rationis esset.* Quum ergo, inquit *LAUNOIUS*, *libros adversus Gentiles* post commentarios in libros *Sententiarum scripserit Angelicus longiori meditatione, usu atque experientia*, hinc intelligitur sequendam esse eiusdem Doctoris sententiam in libris adversus gentes propositam.

VI.

Quod postremo ait LAUNOIUS de spirituali Ecclesiae potestate, iam superius tam ex Tridentino Concilio, quam ex ipsis Gallis scriptoribus doctissimis eadem demonstrata a nobis est. Arbitror deinde LAUNOIUM callido ingenio praestantem incautis illudere voluisse, dum verba illa Angelici Doctoris referenda esse contendit ad maiorem legis solemnitatem, non vero ad intimum legis ipsius va-

lorem. Quaero enim a Launoianis, utrum de maiori legis solemnitate accipienda essent D. THOMAE verba, iuxta naturalem sensum accepta, si quod de auctoritate Ecclesiae dixit, idem contra de Principum iurisdictione affirmasset? Id certe nunquam existimaverint. Neque enim quidquam in illis verbis est, quod de maiore tantummodo legis solemnitate interpretari nobis liceat. Inquit Angelicus: *prohibitio legis humanae non sufficeret ad impedimenta matrimonii* (Christianorum) *nisi interveniret Ecclesiae auctoritas*. Clarius ne loqui fas esset ei, qui putaret, humanam legem ex se ipsa satis non esse ad impedimenta constituenda, quae matrimonium diriment, sed necessariam in hunc finem esse Ecclesiae auctoritatem, qua approbentur impedimenta illa humana lege constituta? Ne unum quidem in eo textu verbum est, quod ad legis solemnitatem pertrahi possit: necessaria in eodem dicitur Ecclesiae auctoritas, quae prohibeat id quod humana lege prohibetur, ut ex eadem nasci possint dirimentia matrimonium impedimenta. Quod Angelicus generatim eo in loco dixit de matrimonii impedimentis, idem prorsus alio in loco superius recitato asseruit de impedimento adoptionis a civili lege statuto; *talis prohibitio*, inquit, *est per Ecclesiam approbata*; *et inde habetur, quod legalis cognatio matrimonium impediat*. De auctoritate, de approbatione Ecclesiae loquitur Angelicus, atque ex hac legis valorem ipse deducit, non autem de promulgatione legis, in qua fortasse maior illa esset, quam sibi comminiscitur LAUNOIUS legis solemnitatem. Ex LAUNOII sententia maior legis solemnitas non vim intimam legi tribuit; at vim omnem his legibus tribuit Angelicus ex eo tantum, quod ab Ecclesia approbatae sint, quod Ecclesia illud interdicat, quod legibus vetitum

est;

est; proinde si LAUNOIUS de maiore solemnitate loquutum velit Angelicum, loquutum fateatur de ea, qua deficiente lex nullam vim obtinet, qua accedente vim omnem suam exerit. Quoad has Angelici sententias nullus interpretationi locus est, quoad alias vero a LAUNOIO in sui definitionem allatas est maxime, ut paullo post ostendemus. Nulla denique est contradictio inter Angelici de hac re sententias; neque enim unquam asseruit S. Doctor, Christianorum connubia ita civilibus legibus subiecta, ut ab his statui possint impedimenta, quae matrimonium dirimant. Logicos contradictionis canones, et Doctoris Angelici testimonia, atque vim intimam latini sermonis expendat, qui illustiorem demonstrationem exoptat.

VII.

Sed iuris axioma est, inquit LAUNOIUS, ex antecedentibus et consequentibus media illustrari. In libro igitur *contra Gentes*, qui ab Angelico post commentarium *in libros sententiarum* conscriptus est, inquit lib. III. cap. LXXVIII. *quod quando aliquid ad diversos fines ordinatur, indiget habere diversa dirigentia in finem, quia finis proportionatus est agenti*; *adeoque concludit, quod in quantum ordinatur* (matrimonium) *ad bonum politicum, subiacet ordinationi legis civilis*. Quae verba more suo explicans LAUNOIUS ait: *in his* (D. Thomas) *auctoritatem Ecclesiae non exigit, ut lex civilis, cui matrimonium subiacet, perfectam vim obligandi sortiatur. Matrimonium attendit in quantum est civilis contractus, et in quantum est Sacramentum; at in quantum Sacramentum supponit civilem contractum*, quem ex natura sua legitimum non esse ait, nisi ex principum legibus; *nam spectatus hac in re finis matrimonii est consideratio hominum, et amicitiae mul-*

multiplicatio, ut S. Doctor supra dixit : *distinctione* xxxx. art. III. iterumque *distinct.* xxxxI. q. 1. art. 1. ad 1. Atque haec quidem consequentia sunt, quae ex Angelico profert LAUNOIUS. In antecedentibus vero maiorem spem collocat, quippe qui postremo tandem loco ex *distinctione* xxx. q. 1. art. 1. hanc recitat Angelici sententiam : *quidquid impedit caussam, de sui natura impedit effectum similiter: consensus est caussa matrimonii; et ideo quod evacuat consensum, evacuat matrimonium; consensus autem voluntatis est actus, qui praesupponit actum intellectus; deficiente autem primo, necessarium est defectum contingere in secundo, et ideo quando error cognitionem impedit, sequuntur etiam in ipso consensu defectus, et per consequens in matrimonio, et sic error de iure naturali habet, quod evacuet matrimonium*. In his, prosequitur LAUNOIUS, *perspicue docet Angelicus, quommodo intacta Sacramenti dignitate matrimonium dirimitur, ac proinde quommodo feruntur leges, quibus fit diremptio*. Recitata vero S. Doctoris verba facile transferri ad alia matrimonii impedimenta posse existimat.

XII.

At nec in atecedentibus, nec in consequentibus quidquam sane est, quod nobis suadere possit interpretationem verbis D. THOMAE a LAUNOIO subiectam. Non in consequentibus ex libro *contra Gentiles* desumptis; nam in iis, sicuti etiam pluribus aliis in locis in III. *sententiarum*, Angelicus loquitur de humana lege, cui subsunt matrimonia relate ad bonum politicum: hoc autem bonum politicum saepe in Christiano matrimonio secundarium dixit, illudque definiit *considerationem hominum, atque amicitiae multiplicationem* : in quibus bonis con-

continentur Reipub. munera , dotes, successiones, haereditates, aliaque his similia. Ergo matrimonii contractus, qui contra leges civiles initur, illegitimus dicitur ab Angelico ; nimirum non obtinet effectus, qui a legibus civilibus tribuuntur iis, qui matrimonium iuxta easdem leges contrahant . Nunquam vero dixit S. Doctor ita illegitimum esse contractum , ut nullum habeatur matrimonii vinculum ; sicuti nullum reipsa asseruit matrimonium initum cum impedimentis dirimentibus ab Ecclesia vel statutis vel approbatis. Existimavit ergo D. THOMAS, ut eius diversa testimonia simul componamus, validum esse matrimonium quoad vinculum , si contrahatur a fidelibus nullo impedimento legis naturalis, divinae, et Ecclesiasticae irretitis, illegitimum autem quoad effectus civiles, si simul contra civiles leges fuerit contractum . Ita in amplissimo Galliarum Regno valida quoad vinculum sunt coniugia inita a filiisfamilias sine parentum consensu, sed invalida quoad civiles effectus, quod nempe Ecclesia ea quidem matrimonia improbat, sed illius consensus defectum minime recensuit inter impedimenta matrimonium dirimentia, lex vero civilis eadem irritavit matrimonia: sic etiam apud Romanos veteres valida erant servorum connubia, quae contubernia nuncupabant , licet civilibus eadem privilegiis carerent . Hac ratione si interpretemur diversa , quae de matrimonio testimonia habet Angelicus, omnis ablata est, quae inter ea videbatur LAUNOIO contradictio. Quum enim Angelicus existimaret, nullam vim inesse in impedimentis matrimonium dirimentibus, nisi instituta vel approbata eadem forent ab Ecclesia; consequens inde est, eum censuisse legum civilium vim omnem esse quoad civiles tantum illos , quos ex ipso diximus effectus . Ergo

 quum

quum ipse haud semel affirmet, matrimonium ut contractum civilem subiacere ordinationi legis civilis, et illegitimum esse si contra easdem leges ineatur, haec intelligenda sunt de civilibus dumtaxat effectibus, non autem de impedimentis matrimonium dirimentibus, quae antea iam dixerat vim ab Ecclesiae auctoritate obtinere. Si ergo consequentia ex antecedentibus sunt interpretanda, iam perspicuam habes Angelici doctrinam.

IX.

Ex his autem, quae hucusque dicta sunt, intelligimus etiam, LAUNOIO minime favere generale principium illud ab Angelico Doctore statutum de caussis et effectibus. In primis enim, ut ex legis axiomate novimus, *plura facta tenent, quae fieri prohibentur*; atque ita plura sunt vetita etiam a legibus Ecclesiasticis, quae tamen rem illicitam quidem, sed non invalidam semper efficiunt. Sed non repugno, legem civilem prohibentem quaedam connubia, suum non sortiri effectum ex mente Angelici. Sortitur nempe effectum iuxta vim ipsius legis. At ex eius doctrina superius demonstrata vis legis civilis est tantum quoad civiles effectus; atque hos quidem impedit, non autem alios, qui ipso docente pendent ab Ecclesiasticarum legum energia. Ut ergo quae habet Angelicus Doctor in *sententiarum libros*, revocata dicenda forent ex aliis, quae in libro *contra Gentiles* conscripsit, oporteret sane, ut essent invicem pugnantia, adeo ut posita una sententia poni altera ex mente ipsius auctoris non posset; ergo necesse foret, ut quod primo affirmatum a S. Doctore est, idem omnino in iisdem prorsus circumstantiis fuisset negatum vel expresse vel ita implicite, ut nulla alia esset ratio interpretandi eumdem Doctorem, quam ea quae prorsus aequipol-

polleat expressae illius sententiae. Verum superius demonstratum est, diversam esse Angelici in iis locis sententiam, quae non modo ex eius mente vim habet, sed etiam ex Gallicani imperii legibus. Itaque Angelici doctrina, quam fassus fuerat LAUNOIUS se sancte sequuturum, eiusdem systemati ita repugnans est, ut nullo prorsus modo cum ipso consociari unquam possit.

CAPUT X.

Sententia Theologorum, qui nobis obiiciuntur tamquam Concilii Tridentini Interpretes aut non officit Ecclesiae potestati, de qua disserimus, aut eidem favet omnino.

I.

LAUNOIUS, ut superiori capite dictum a nobis est, infinitam quasi Theologorum seriem ad suae opinionis defensionem protulit; imitatus eos forenses, qui ut mites adversarios facilius obruant, atque ut maiora aeris pondera ex minimo labore aquirant, innumeros exscribunt auctorum textus aut saltem eorumdem nomina curiae vel cognita, vel etiam ignota; quamcumque tandem propugnaverint sententiam. LAUNOIUS ergo praeter Theologos, qui eruditis comperti sunt, plures alios non modo laudat, quorum libri tineis pabula sunt, sed eorum quoque recitat testimonia, quorum opera ne in ditissimis quidem Bibliothecis edita unquam sane reperies. Praeterea LEULLIERIUS sua in LAUNOIUM observatione II. §. V. ait auctorum textus esse ab eodem *corruptos, truncatos, adulteratos, interpolatos, futiles, et nihil probantes, contra LAUNOIUM ipsum militantes, insulsis interpretamentis depravatos; atque ex iis tamen textibus ita corruptis ita perverse et perperam relatis iactari a LAUNOIO horum Theologorum auctoritates, has sincere relatas audacter affirmari*: et paullo infra asserit, *ne unum quidem esse in tanta et tam immensa Theologorum turba, atque in tanta opinandi et opinantium licentia, qui negaverit, etiam ante Concilii Tri-*

Tridentini definitionem, esse penes Ecclesiam seu spiritualem Ordinem, potestatem statuendi impedimenta dirimentia. Ex iis, quae ex Angelico Doctore, quem unice sequi se iactitabat LAUNOIUS, disputata vidimus ab eodem LAUNOIO, argumentum certe habemus, quo de ceteris institui iudicium possit. Quae pariter de AMBROSIO CATHARINIO, de PETRO SOTO ac de DOMINICO SOTO infra dicemus, idem iudicium magnopere firmabunt. Quod si quid etiam dictum a LEULLIERIO nimis acriter aut minus vere fuisset, (neque enim nobis lubet omnia haec examini subiicere) plurimum tamen superesit oportet, ex quo LAUNOIO tot sibi patronos iactanti fidem praebere non liceat. Neque vero nos heic Theologorum Concilium convocavimus, ut eorumdem numerentur de proposita quaestione suffragia: sed rem ipsam accurate expendendam esse censemus. Ostendimus vero evidentissime, Concilii Tridentini Patres edidisse dogmaticos canones, quibus definiere Ecclesiasticam esse potestatem constituendi dirimentia matrimonium impedimenta, idque adversus haereticos, qui hoc tantummodo, non vero civilem potestatem negabant; proptereaque solliciti esse non possumus de auctoritate quorumlibet Theologorum, qui nunquam fere ex instituto, sed leviter admodum, atque praeiudicatis etiam opinionibus abrepti de hac in dirimentia impedimenta potestate sunt loquuti. Seligimus ergo celebriores Theologos seu Iuris peritos, qui nobis opponuntur tamquam Concilii Tridentini interpretes.

II.

Ac primo quidem de CATHARINIO dicamus; de quo sicut et de PETRO SOTO illud est animadvertendum, eos quidem Theologos Tridentino adfuisse Concilio, sed utrumque ex hac vita migrasse

antequam conderentur in Concilio canones de Ecclesiae potestate in dirimentia matrimonium impedimenta; ex quo quidem exploratum est, an scriptores illi tamquam Concilii Tridentini interpretes proferri possint; sicuti ex iis PETRUM SOTUM nobis obiicit TAMBURINIUS, *de Matrimonio* §. cxxvII. CATHARINIUS ergo disputans, an valida essent matrimonia sine parentum consensu inita, paullo ante ea quae ex ipso obiecit NESTIUS, quaeque paullo infra recitabimus, habet haec alia: *dicet quis: haec est materia circa quam saeculares Principes non babent cognoscendi aut statuendi potestatem, quoniam sacra et propria, circa quam versentur, et de qua statuant soli Pontifices. Respondeo verum esse, quatenus matrimonium est sacramentum, sed quatenus est in officium naturae, pertinet etiam ad Principes circa illud animadvertere et leges condere, propter honestatem et pacem domesticam, modo servetur verbum Dei. Fateor tamen si in dubitationem veniat, an haec quaestio pertineat ad causam Sacramenti, remittendam esse cognitionem eius ad Pontificum Tribunal*. An vero, qui ita rem definit, censeri possit Launoiani systematis patronus, iudicet NESTIUS, qui haec antecedentia CATHERINII verba, ut arbitrari licet, minime perlegerat.

III.

Neque vero nos movet subsequens obiecta CATHERINII oratio. Quod enim ait, *quidquid non est contra legem Dei et legem naturae, id Principes posse circa matrimonium, tamquam circa suam et non alienam materiam*, hoc inquam secure affirmat CATHARINIUS, non probat. Aliis ergo satis nunquam sunt argumenta propositiones comprobantia; nobis vero sufficere debet scriptorum quorumlibet nuda auctoritas. Num proferuntur auctores, qui do-

doctorum Ecclesiasticorum laudem ab ipsa Ecclesia sint consequuti ? Utique respondes ? Fuit enim et CATHARINIUS a S. Pontifice, quem Romani infallibilem habent, inter innumeros, qui in Urbe erant, ad Tridentinum Concilium missus, tamquam Romanae Sedis Theologus. Perbelle sane. Sed missus ne est, ut auctoritate sua, an rationum pondere res in Concilio definiendas pertractaret? An ut Iudex, an ut Theologus? Ergo bene nosti, ut Theologum missum fuisse CATHARINIUM a Rom. Pontifice, quem Romani in hac re infallibilem non praedicant; missum ergo ut rationum momentis, quae ex Theologicis disciplinis obtineri possunt, utilitati esset Patribus, qui ut iudices in Concilio sedebant. Nam quanta sit CATHARINII auctoritas dicemus postea. Itaque expectemus adhuc oportet argumenta, quae eius opinionem suadere nobis possint. Nam quod Principes in condendis legibus non teneantur nisi lege naturae ac lege divina, hoc per se non est satis perspicuum. Si legis divinae nomine intelligat dumtaxat legem Dei positivam, eam nempe, quae in sacris continetur libris, vereor sane ne hoc repugnet Catholicorum doctrinis, ex quibus compertum certe est, Principes ipsos plurimis teneri legibus Ecclesiae, cuius et ipsi sunt sectatores; ac propterea honoris, quem legibus illis praestitere sapientissimi, pientissimique Principes, monumenta habemus innumera. Si vero ratus sit CATHARINIUS, eosdem Principes non teneri legibus, quae ab Ecclesia latae sunt de matrimonii impedimentis, quod putet hanc esse materiam prorsus civilem; hoc satis profecto non est asserere, nisi validis probetur a CATHARINIO argumentis, quae adhuc desideramus; atque in hoc pugnaret cum PETRO SOTO, cuius sententiam paullo post declarabimus. Ecclesia porro diri-

mentia matrimonium impedimenta constituens, divinum sequuta in hisce constituendis exemplum, non finem civilem sibi ipsa proposuit, sed immediate spiritualem, nempe regulas morum, quibus ex divina lege atque ex Traditione tamquam ex purissimis fontibus, sive potius unico utriusque fonte haustis obtemperare debet quicumque Catholicum se esse gloriatur. Quod vero diximus de generica AMBROSII CATHARINII propositione, idem aeque dictum esto de eiusdem sententia quoad matrimonia a filiis familias sine parentum consensu contracta, quae ipse sine ullo rationis pondere securus pronuntiat irrita esse ex solis Principum legibus.

IV.

Ex quo quidem clare intelligitur, quanta hac in re fuerit in Tridentino Concilio CATHARINII auctoritas, si ipse unquam suam in eodem Concilio proposuerit opinionem. Neque enim Tridentini Patres, rogantibus etiam Galliarum Oratoribus existimarunt, impedimentis matrimonium dirimentibus adnumerare defectum consensus parentum pro coniugiis filiorum familias. Neque vero, ut superius diximus, matrimonia haec in amplissimo Galliarum Regno irrita habentur, nisi quoad effectus civiles. Praeterea ignotum nemini esse arbitror quam singulares, quamque audaces protulerit CATHARINIUS in Theologicis disciplinis opiniones. Hucusque audax eius ingenium processit, ut negaverit confectum a CHRISTO Domino corporis et sanguinis sui Sacramentum iis verbis, quae in Evangelio leguntur, quaeque universalis adhibet Ecclesia; propterea in appendice Indicis Tridentini damnata reperies bina ipsius scriptoris de hoc argumento opuscula; ut mirum proinde non sit, si eam adamaverit de coniugii impedimentis opinionem, cui postea Tridentini Concilii

cilii Patres, ut demonstratum suo loco est, canonibus ac decretis repugnarunt.

V.

Ex quo etiam praeclare patet, quid respondendum NESTIO animadvertenti, opus CATHARINII de clandestinis coniugiis et Romae editum, et cum privilegio IULII III. R. P., quasi inde vel maius, vel etiam maximum accederet eidem opusculo auctoritatis pondus. Si huiusce generis argumenta obiecta fuissent saeculo VIII. aut. X. parcerem utique obscurae aetatis scriptori. At saeculo hoc splendidissimo, quis, nisi sensus omnino expers, eadem patienter audiat? Quis enim non videat ex ipso argumenti genere susceptum desertae causae patrocinium? Romae qui eduntur libri, plerumque a duobus censoribus approbantur, quibus proprium non est infallibilitatis donum. Ridiculum vero est, quod de privilegio IULII III. narratur: quasi privilegium huiusmodi eximia sit operis approbatio, non autem sit illud idem ad typographi multam sperantis utilitatem concessum. Elegantiora quaedam alia in hac rem dici possent. Verum, ut in proposito corollario consistamus, quilibet profecto, ac multo magis NESTIUS ipse maiorem agnoscet auctoritatem in Tridentini Concilii Patribus, quam in Romanis librorum censoribus. Itaque, quum aequissimis illius Tridentinae Synodi oecumenicae iudicibus probata non fuerit supradicta CATHARINII opinio; hinc sane quisquam intelligit, quod ferendum sit de eius opere iudicium.

VI.

De PETRO SOTO nunc loquamur. Hunc utique fatemur virum excellentis ingenii ac pietatis; hominem tamen etiam fateamur oportet. Ergo PETRUS SOTUS *Lectione* IIII. *de Matrimonio*: inquit: *Possunt etiam positiva iura illegitimos aliquos redde-*

dere .... Unde B. THOMAS supradicta intrepide asserit, iura ipsa civilia et Imperatoris leges illegitimos aliquos reddere ad contrahendum: ita videlicet, ut nullum sit matrimonium; neque negant hoc alii, quamquam non ita aperte asserant. Et certe hoc est solidissime fundatum in illo verbo Evangelii: quod Deus coniunxit, homo non separet; Deus enim per caussas naturales et ordinatas humanos contractus perficit, idest auctoritate legum, sicut naturales res per caussas naturales. Non itaque Deus coniunxit, quod contra iustas leges humanas coniungitur. Hoc dicimus quoniam Iuristis multis visum est, non esse potestatis saecularium legum matrimonium nullum reddere, sed tantum Ecclesiasticarum. Et certe Iuristae nulla auctoritate iuris divini, aut canonici hoc probant, nec etiam ulla efficaci ratione. Quod ergo ipse asserit de Angelici Doctoris sententia quoad civilem in matrimonia potestatem, hoc sane demonstrat magnos etiam viros quandoque falli. Angelici forsan testimonia illa tantummodo consuluit, quae generalem quamdam continent de civili in matrimonia auctoritate sententiam; non autem alia praeclarissima, in quibus ille potestatem constituendi impedimenta matrimonium dirimentia Ecclesiae dumtaxat concedendam existimavit. Qui haec vel perfunctorie inspexerit, nec promptam habuerit rectae ratiocinationis lucem, dubius saltem haerere debet de Angelici Doctoris hac de re sententia, ob apparentem contradictionem inter utriusque generis testimonia, quae ut simul in suam sententiam apte conciliaret LAUNOIUS tantopere quidem, sed frustra omnino elaboravit. Miror igitur SOTUM tanto ingenii acumine illustrem adeo dormitasse, ut eam adscripserit Angelico Doctori sententiam, quam nemo veritatis investigator eidem adscribet unquam.

VII.

VII.

Iamvero NESTIUS more Launoiano recitavit ea PETRI SOTI verba quae sibi favere censuit, siluit autem (forsan recentioris elegantiae et iucundae brevitatis caussa) illa quae nobis certe favent magnopere. SOTUS enim eadem *lectione* III. *de Matrimonio* scribit: *fatemur igitur leges civiles non posse licitum matrimonium facere, quod Ecclesiasticae illicitum reddunt; sic nec Ecclesiasticas leges approbare, quod divinum ius reprobat; hoc enim esset inferiorem superiori contradicere: verum quod Ecclesiasticae leges non prohibent, cur saeculares prohibere non poterunt? Sicut quod noo prohibet eius divinum prohibent Ecclesiasticae*. Quod ergo antea dixerat SOTUS, quodque a contextu orationis a LAUNOIO et NESTIO truncatum videtur generalem tribuere civili Reipub. potestatem constituendi dirimentia matrimonium impedimenta, nulla huiusmodi relicta Ecclesiastico Ordini auctoritbte, hoc inquam cum recitatis SOTI ipsius verbis simul compositum demonstrat peculiarem SOTI sententiam in iis contentam, iuxta quam interpretanda sunt etiam verba illa a NESTIO et LAUNOIO allata. SOTUS ergo potestatem in Ecclesia agnoscit constituendi impedimenta, de quibus sermo, hanc potestatem multo maiorem illa, quam ipse in civili Repub. adesse censebat.

VIII.

Atque in hoc quidem SOTUS censuit se D. THOMAE interpretem; quod hic nimirum dixerit distinctione xxxx. art. III. *Sicut Deus non iungit illos, qui coniunguntur contra divinum praeceptum, ita nec coniungit illos, qui coniunguntur contra Ecclesiae praeceptum, quod eamdem obligandi efficaciam habet, quam praeceptum divinum*. Eodem ergo principio nempe eodem illo scripturae axiomate: *quod*

quod Deus coniunxit etc. tam Angelicus Doctor, quam eius interpres utuntur: uterque propriam Ecclesiae fatetur potestatem constituendi dirimentia matrimonium impedimenta. Hoc tantum est inter utrosque discrimen, quod SOTUS putet per se ipsa valida ea impedimenta a potestate civili constituta, quae non repugnent statutis ab Ecclesia impedimentis; Angelicus autem Doctor certo teneat nullum impedimentum habere vim dirimendi Chsistianorum connubia, nisi ab Ecclesia vel constitutum, vel approbatum sit. Itaque tam Angelicus, quam SOTUS in eo consentiunt, quod suprema sit in Ecclesiastica Hierarchia potestas, quam LAUNOIUS, TAMBURINIUS ac NESTIUS aiunt a D. THOMA, atque a PETRO SOTO Ecclesiae denegatam. Quinimo idem SOTUS, putavit ad Catholicam fidem pertinere sententiam de illa Ecclesiae potestate de qua sermonem instituimus; nam in libro inscripto: *Assertio Catholica* scribit: *Docet igitur Catholica fides, quod in coniugio, cuius ordinatio maxime ad Ecclesiae ordinationem pertinet, multa mutari, addi, vel tolli possunt per Ecclesiam prout moribus et temporibus magis videbitur expedire; unde olim multo restrictior fuit facultas contrahendi inter consanguineos et affines etc.* Glorientur ergo adversarii nostri tam valido auctore et patrono PETRO SOTO.

I X.

Eadem fuit sententia DOMINICI SOTI, qui ut vir doctissimus omni interfuit Concilio Tridentino, tamquam primus CAROLI V. Theologus; cui etiam concreditum fuit munus colligendi acta Concilii, atque eiusdem Decreta conscribendi. Ille ergo opponitur a NESTIO, indicato tantum loco ex distinct. xxxiiI. quaest. un. art. 1. ad 3. ac forte haec sunt

sunt SOTI verba quae sibi favere existimavit, nimirum: *matrimonium . . . quatenus ad convictum humanum attinet, et Reipub. pacem, legibus humanis subiacet*; sed statim addit idem Theologus: *convictus autem pacificus impeditur per uxoricidia et incestus, et alia crimina, quae ideo Ecclesia prudenter impedimenta esse voluit matrimonii*. Atque ut de huius Theologi mente clarius constet, quae his antecedunt, quaeque eadem sequuntur, consulenda a nobis sunt. Antea igitur scribit: *haeretici ... eam* (Ecclesiam) *negant leges posse condere impedimentorum matrimonii praeter illas, quae sunt de iure naturae ... vel quae iure divino sunt in Levitico .. . Ita dogmatizant Lutheranorum scholae; sed sunt in hoc veluti in aliis pluribus plane haeretici*. Et ne dubites de Ecclesiae significatione, addit: *multa sunt impedimenta matrimonio obstantia .... quae Ecclesiasticis institutis decreta sunt. Quae quidem conclusio non tantum veluti scholastica veritas, verum ceu catholica, cuius contraria negatio haeretica est, asseritur*. Postquam autem plura recensuit ex diversis caussis impedimenta, ita prosequitur, ut nullum aditum Launoianae interpretationi relinquat; inquit enim: *quo fit, ut de omnibus istis Ecclesia possit leges prohibitorias condere. Quin vero Principes, et civilis Respub. si modo id Ecclesia permittat, facultatem habent ferendi leges, quibus matrimonia cohibeantur; ut inferius dist.* xxxx. *et* xxxxiiI. *latius monstrabitur*. Perspicua ergo DOMINICI SOTI mens est, Ecclesiam sive Hierarchiam Ecclesiasticam propria auctoritate posse condere leges matrimonia dirimentes; atque sententiam hanc esse veritatem catholicam. Quo animo igitur nobis opponunt huiusmodi auctores, eodem prorsus obiicere possunt Nicaenam Synodum, ut probent Verbum

bum non esse Patri consubstantiale. An huic lucidissimo saeculo obduci possint densiores tenebrae, fateor me prorsus ignorare.

X.

Denique dicendum de ESPENIO, quem suae opinionis patronum *honoris caussa* nominat NESTIUS, quemque ut Concilii Tridentini interpretem commemorat TAMBURINIUS. Ex eiusdem ESPENII *Iure Ecclesiastico* indicat NESTIUS dumtaxat Caput I. §. III. et §. VIII. Quid hisce in locis doceat ESPENIUS, quid vero in aliis, accurate investigemus. Itaque §. III. scribit: *magistratus civiles prospicere debent, ut matrimonia sic ineantur ut bonum politicum et regimen Reipub. inde non patiatur, nec tranquillitas familiarum turbetur* §. autem VIII. ait, *Principes Infideles potuisse et adhuc posse statuere impedimenta non tantum impedientia, sed etiam dirimentia inter subditos suos infideles, omnes agnoscunt, eo quod huiusmodi matrimonia maneant etiam hodie contractus mere civiles*. An vero, qui haec scribit, *manibus pedibusque*, ut vult NESTIUS in eius sententiam descendit? Quum enim auctor aliquis adducitur alicuius opinionis sectator, aut propugnator, ac veluti testimonium, perspicua adeo debet esse illius sententia, ut nulla prorsus excitari de eadem possit prudens dubitatio. Verum ex eo quod civiles magistratus prospicere debeant, ne matrimonia cum Reipub. detrimento ineantur; num consequens necessario est, ad Ecclesiam non pertinere propriam intimamque auctoritatem constituendi impedimenta matrimonium dirimentia? Num forte civiles Galliarum magistratus non prospiciunt Reipub. tranquillitati, ex eo quod Ecclesia irritare noluerit coniugia filiorum familias sine parentum consensu contracta, ac proinde ipsi magistratus ea non irri-

irritent nisi quoad civiles effectus ? Primum ergo ESPENII testimonium nec *pedibus* nec *manibus* in Nestianam sponte descendit opinionem.

XI.

Multo minus certe alterum, quod est tantum de Principibus infidelibus ratione habita ad infideles subditos. Video equidem NESTIUM ex hoc tamquam axiomate inferre, considerata civilis contractus natura, consequutionem eamdem quoad fidelium pariter coniugia. At qui affert alicuius scriptoris textum, veluti suae opinionis testimonium, id tantummodo sumere debet, quod ab eodem auctore asseritur, non vero quod arbitratur ille, ex huius textus doctrina consequens esse. Forte enim plures scriptores si prospexissent propositiones, quae ex aliquo statuto ab iisdem principio necessario sequuntur, ipsi principio, ut quandoque contingit, vale omnino dixissent. Sed ex eo, quod statuit ESPENIUS, non vidit ipse necessariam illationem illam, quam ex eodem deducit NESTIUS, ut paullo infra dicam: quinimo tot alii Galliarum scriptores eam consequutionem ex illo principio minime eliciunt; nec certe Tridentini Patres, qui definiere Ecclesiae potestatem constituendi dirimentia matrimonium imdedimenta. Nec *manibus* ergo nec *pedibus* in eam sententiam descendere ostenditur ESPENIUS, quem NESTIUS suum esse tantopere gloriatur.

XII.

Non me latet, eumdem ESPENIUM, in medium deinde protulisse SANCHEZIUM aliosque a NESTIO laudatos, ut suae opinionis patronos. At historice potius, quam ex animi sententia eosdem laudavit. Nam ESPENIUS §. x. indubitatum esse ait, Christianis Principibus inesse potestatem statuendi impedimenta, quae impedientia appellant; at post

post recitata illorum scriptorum verba, tandem demonstrat, sibi indubitatum non esse, an iidem Principes potestate gaudeant dirimentia impedimenta statuendi; inquit enim §. xvI. *quidquid sit*, (nempe de eorum scriptorum opinione) *hoc constat, iam a pluribus saeculis Ecclesiam, et quidem privative, et cum exclusione Principum saecularium impedimenta dirimentia inter Catholicos ordinasse; eaque pro temporum et locorum circumstantiis nonnumquam extendisse vel limitasse, aut etiam relaxasse; ac per consequens negari non potest, quin Ecclesia hac potestate a primis saeculis pacifice usa sit*. Ut autem noscas, quid primorum saeculorum nomine intellexerit ESPENIUS, scias velim ipsum in huius Ecclesiasticae potestatis exemplum laudare canones Apostolicos, quos etsi fateatur, Apostolis minime adscribendos, vetustissimos tamen se probasse affirmat. Laudat praeterea, ut haud semel diximus, GERBESII opus, in quo Ecclesiae potestatem illam a CHRISTO usque deducit, firmatque perpetua monumentorum collectione. ESPENIUS denique ex antea dictis hanc elicit consequutionem, §. xx. *Igitur filum Traditionis insequuta Synodus Tridentina, recte dixit anathema in eum, qui dixerit, Ecclesiam, non potuisse constituere impedimenta dirimentia*. Qui autem haec scribit, potest ne tuto pronnntiari tamquam Launoianae opinionis defensor? Si illi, quos commemorant TAMBURINIUS ac NESTIUS, huiusce generis scriptores, tamquam suae opinionis aut testes, aut patronos, hanc tradidere de potestate in matrimonii impedimenta sententiam; hinc etiam quisque arguere poterit, quid de aliis sentiendum, quorum testimonia sunt apud LAUNOIUM, nec a NESTIO nec a TAMBURINIO recitata.

FINIS.

ANONYMI
DISSERTATIO
QUA DEFENDITUR
ROM. PONTIFICIS AUCTORITAS
IN IMPEDIMENTA
MATRIMONIUM DIRIMENTIA
ADVERSUS NEOTERICOS THEOLOGOS.

HIERAPOLI. MDCCLXXXVI.

Praesidum permissu.

BEATO . PETRO

APOSTOLORVM . PRINCIPI

CHRISTI . ECCLESIAE . INSTITVTORIS

VICARIO

PONTIFICIAE . AVCTORITATIS

DEFENSORI . OPTIMO

ANONYMVS . DEVOTVS . NOMINI . EIVS

L . M . D . D

Quum tempore Concilii Tridentini dispensandi auctoritas ... ac signanter super impedimentis dirimentibus matrimonium, esset ad Apostolicam Sedem devoluta, sive Sedi Apostolicae reservata, non sine fundamento docet, multisque probat D DU-CASSE ... Synodum Tridentinam regulas in materia dispensationis ac signanter super impedimentis matrimonii praescriptas ad ROM. PONTIFICEM praecipue direxisse.

ESPENIUS. *Ius. Eccl.* Part. I I. Sect. I. Tit. XIIII. Cap. I. num. X.

I N D E X

P R O E M I U M.

In quo exponitur quaestio, quae in hac dissertatione pertractanda est.

P A R S I.

Respondetur argumentis, quibus recentiores Theologi probare conantur, inesse singulis Episcopis potestatem dispensandi a dirimentibus connubiorum impedimentis.

PARS II.

Responsio affertur argumentis, quibus probare magnopere student, deesse ROM. PONTIFICI universalem in Ecclesia potestatem dispensandi a dirimentibus connubiorum impedimentis.

I. Aiunt Pontificiam hanc auctoritatem carere, *titulo*, et legitima *possessione*.

II. At in primis fit sermo de possessione, quae probatur antiquissima, eademque pacifica.

III. Huic non officiunt quorumdam Doctorum querelae.

IV. Nulla Ecclesia, nullusque Episcopus legitime repugnavit eidem Possessioni.

V. Contradictio autem, est opponere in hac quaestione querelas Principum.

VI. Legitima ergo huius Pontificiae auctoritatis possessio; quae tamen minime supponit alterius iura a R. PONTIFICE praescripta.

VII. Primo enim considerari potest tamquam legitima consuetudo, ac disciplina Ecclesiae,

VIII. Quae probat ROM. PONTIFICEM hac auctoritate uti ex Primatu;

IX. Caussae plures recensentur, cur ROM. PONTIFICES sibi reservaverint huiusmodi dispensationes.

X. ROM. PONTIFICIS Primatus exortis caussis evolvitur veluti et explicatur:

XI. Quique censeri potest a Tridentino Concilio in hac ipsa re firmatus;

XII. Tum vero etiam tacito expressoque Ecclesiarum consensu, iterumque a Tridentina Synodo.

XIII. Quod fatentur perspicue plures ex celebrioribus Theologiae Doctoribus.

XIV. Inane commentum est, ROM. PONTIFICES non tulisse leges de matrimonii impedimentis.

XV. Aliis respondetur adversariorum argumentiis.

XVI. Vetus denique eorum, qui Ecclesiam perturbant, consuetudo est, in suis argumentis Principum auctoritatem inserere.

DE-

DEFENSIO
PONTIFICIAE AUCTORITATIS
IN MATRIMONII IMPEDIMENTA

PROEMIUM.

In quo exponitur quaestio, quae in hac dissertatione pertractanda est.

I.

MEns nostra in hac dissertatione non est pertractandi ex instituto de suprema ROM. PONTIFICIS in dirimentia connubiorum impedimenta auctoritate; ea est enim tantae molis pertractatio, quod probe norunt eruditi, ut non parvo tamquam supplici libello, sed tereti ac pleno volumine, cui nunc perficiendo satis certe otii non suppetit, eadem versari a Theologo ac Iuris Ecclesiastici perito omnino oporteat. Itaque hoc tempore opinionem, et argumenta proferam, atque pro viribus confutare studeam neotoricorum quorumdam Theologorum, ingenio ac doctrina praestantium, qui acriter subtiliterque con-

tra supradictam ROM. PONTIFICIS auctoritatem disputantes, eamdem singulis inesse Episcopis magnopere sibi aliisque suadere conati sunt. Fieri equidem posse video, ut quis optimam caussam infirmis admodum argumentis tueatur; ex quo consequens profecto est, rectam esse eorum argumentorum confutationem, quin falsa sit opinio iisdem argumentis ab imperito aliquo viro propugnata. Quamvis vero illorum Theologorum argumenta, si in se ipsis conderentur, infirma admodum sint et imbecilla; dispeream tamen si excogitari possint iis validiora, quibus ipsi Theologi tum Pontificiam oppugnant, tum Episcopalem defendunt in re proposita iurisdictionem. Quamobrem sperare nobis quammaxime licet, haud inutilem fore susceptum hunc laborem.

II.

Ergo ad rem accedamus. Theologi quidam nuperrime hanc proposuere quaestionem: *utrum Episcopi in hodierna Ecclesiae disciplina facultatem habeant subditos suos dispensandi ab impedimentis matrimonii; id vero potissimum, quum saecularis Princeps iubeat, ut subditi ad eosdem Episcopos in eum finem confugiant*. Illi iidem Theologi causam pertractant, atque in Episcoporum favorem eamdem definiunt. Nos vero eorum argumenta examini subiiciemus, ut eam inquiramus veritatis naturam, quae Theologis non modo sed Episcopis, atque Principibus ipsis gratissimam acceptissimamque arbitramur. Scriptores illi, postquam varias de hac re recensuere Theologorum sententias opinionesque, pollicentur, ut maximum suae definitioni pondus accedat, se pertractaturos propositam quaestionem in systemate dumtaxat eorum, qui Ecclesiae tribuunt potestatem condendi dirimentia coniugiorum impedimenta; atque aiunt, se investigaturos, *utrum ad Epi-*

Episcopos pertineat eorum impedimentorum dispensatio, an vero haec sit ROM. PONTIFICI reservata. Aliquam forte vocem iu hac propositione ex typographi incuria deesse censemus; ne in ipsa proposita quaestione maximam fateamur obscuritatem, ne dicam inutilitatem. Si namque superius inquisituros se dixerunt, utrum in hodierna disciplina obtineant Episcopi eam facultatem, in hodierna autem disciplina, ipsis postea fatentibus, facultas illa sit R. PONTIFICI reservata; vel nihil inquiritur, vel investigatur id, de quo ne ipsi quidem dubitandum putant. Quaerunt ergo, ut ex eorum argumentis fiet perspicuum, an retinenda sit hodierna Ecclesiae disciplina, quae ROM. PONTIFICI eam potestatem reservatam commonstrat, an vero ab hac eadem disciplina sit recedendum, ut potestas illa singulis concedatur Ecclesiarum Pastoribus. Quum autem postremum hoc, tamquam veritati unice consentaneum Theologi illi decernant, inde profecto consequitur, hodiernam Ecclesiae disciplinam, quae ut postea observabimus, ab antiquissimis eiusdem Ecclesiae saeculis obtinet, immerito introductam, atque cum maxima Episcopalis auctoritatis iniuria hucusque in Ecclesia fuisse servatam. En paradoxa, quibus inquieta haec atque infelix eruditorum aetas ad perturbandam Ecclesiae CHRISTI sponsae pacem tranquillitatemque magnopere abundat. Bifariam itaque dividemus nostram defensionem; ac primo quidem confutabimus argumenta, quibus Episcopalem defendunt auctoritatem; tum vero ea, quibus Pontificiam oppugnant iurisdictionem.

PARS

PARS I.

Respondetur argumentis, quibus recentiores Theologi probare conantur, inesse singulis Episcopis potestatem dispensandi a dirimentibus connubiorum impedimentis.

I.

IN confutatione huiusmodi Theologorum eum sequeremur ordinem, quem ipsi in suo sermone proponunt. Primi itaque generis duo praecipua ac veluti fundamentalia sunt, quae magno verborum apparatu ab iisdem proposita ad pauca haec revocari possunt. Primum colligunt ex divina perfectaque Ecclesiasticorum Pastorum institutione; ex unitate Episcopatus alterum, quod ex duplici S. CIPRIANI testimonio confirmatum volunt; quod nempe affirmet, unumquemque Praepositum, sive Episcopum actionum suarum redditurum esse rationem. Aiunt ergo institutionem Praelatorum Ecclesiasticorum esse divinam, eamque ab initio usque perfectissimam esse excogitandam; hanc nimirum comparandam non esse cum humanis institutionibus, quae paullatim ac per temporum intervalla suam aquirunt perfectionem: in his contingere etiam posse, ut ad publicum societatis bonum sancte servandum, quae initio maior concessa magistratibus fuerat potestas, debeat mutatis temporum circumstantiis ad minores limites coerceri; non ita tamen evenire in Ecclesiastica Repub. id posse, quae a CHRISTO Domino perfectam habuit auctoritatem; cui propterea nulli assignari possunt ab humana potestate arctiores limites.

II.

I I.

Mirandum sane est vehementer, quod acutissimi nostrae huius aetatis Theologi animos habeant ita ad docilitatem comparatos, ut huiusce generis argumento in cochleam efformato, eodemque levi admodum et infirmo victos fractosque se esse persentiant. Tautum vero abest, ut ipsis illud faveat, quin imo huic contradictoriam firmat, quam nos tuemur, sententiam. In divina enim Ecclesiasticorum Praesulum institutione habetur pariter unius supremi institutio Episcopi, qui Primatu iurisdictionis universalis in totam Ecclesiam a CHRISTO ipso donatus et auctus hanc exercere debet in iis omnibus rerum temporumque circumstantiis, in quibus eamdem exercendam esse, vel solus ipse, vel consetiente aut non repugnante Episcoporum Ecclesiae coetu existimaverit. Quod quidem demonstratione non indiget; quum id inter ipsius Ecclesiae dogmata recenseant catholici illi etiam Theologi, qui certum ROMANI PONTIFICI infallibitatis donum minime concedunt. Quapropter iure contemnimus eos, qui sub quadam veritatis specie et umbra verbis fatentur dogma de universali iurisdictione Romani Primatus, re autem ipsa deinde in singulis rebus ita extenuant, imminuuntque, ut nuda prorsus ipsi remaneat honoris praerogativa. Itaque si Rom. Ecclesiae PONTIFEX a DEO ipso Primatum obtinet iurisdictionis in Ecclesiam universam, hinc certe consequitur, humanam non esse, sed prorsus divinam eius auctoritatem illam, quam in ipsam universam Ecclesiam exercet, qua etiam aliquos actuali Episcoporum iurisdictioni limites constituendos esse censet. At hodierna Ecclesiae disciplina, tot saeculorum testimonio validissimo firmata flagitat supremam ROMANI PONTIFICIS auctoritatem ad dissol-

sol-

solvenda dirimentia connubiorum impedimenta; Episcopi igitur, generatim loquendo, ut generalis fert haec pertractatio, ad superiorem hanc confugere debent auctoritatem, ut facultatem obtineant dispensandi a supradictis coniugiorum impedimentis. Quod afferunt Theologi illi exemplum civilis Reipub., a cuius institutione et regimine plurimum differre clamant Ecclesiasticam Rempublicam, molestum maxime eisdem accidere debet, ut aptius infra, in altera Dissertationis parte erit a nobis demonstrandum.

III.

Sed quod nuper de Episcoporum obligatione diximus, Theologi ipsi vel inviti fatentur, dum aiunt, *contigere quandoque posse, quod quibusdam suadentibus circumstantiis, prudentia determinet Episcopos ea potestate praeditos, ut eadem non utantur potestate, nisi ex consilio, aut ex certo quodam permissionis genere obtentae ab eo, qui superiore praeditus est dignitate; eiusdem tamen potestatis sortem, centrum, sive caput in eo semper esse, cui CHRISTUS ipse eam primo concredidit*. Si Theologi illi *certo quodam permissionis genere* nolint intelligi caeremoniae genus, quod ex arbitrio pendeat, permissio sane cuiuscumque tandem speciei excogitetur, semper habet intimam permissionis naturam; proindeque supponit semper necessariam subiectionem illius, qui eam rogat, erga illum, qui ab eodem rogandus est, ut eamdem velit concedere. Quis vero ille est, qui superiore praeditus sit dignitate, ad quem confugit Episcopus, ut illud permissionis genus obtineat? In altero eorum Theologorum argumento, quod infra suo oco expendemus, unus appellatur Metropolita. Nimio igitur causae defendendae studio incensi, facile obliti iidem sunt, et Nationum Primates, et Patriarchas,

chas, supremumque totius Ecclesiae Pastorem R. PONTIFICEM. Nimirum docti eruditique huiusce generis Theologi haud aegre ad veterem Ecclesiae disciplinam confugiunt, quum eamdem sibi favere posse putant, ab ipsa vero longissime semper recedunt, quum vehementer timent, ne in eadem molestum sibi aliquid reperiant. At fortasse brevitatis caussa de Metropolitanis tantummodo iniecere mentionem, existimantes consequens deinde necessario esse, ut qui Archiepiscopos appellavit, similibus de caussis Primates etiam, Patriarchas ac supremum PONTIFICEM adire debeat. Quod enim sibi illi fingunt sponte factum ab inferiore aliquo Episcopo, idem profecto quandoque faciendum, illo etiam invito, et recta ratio, et rerum experientia, atque vetus cum hodierna disciplina coniuncta clarissime demonstrant.

IV.

Quod vero aiunt, sortem illius potestatis intimam semper esse in Episcopis, quibus eamdem CHRISTUS ipse concredidit, recte quidem aiunt, si velint eam admittere, quam non Theologi Scholastici aut Iurisperiti forenses agnoscunt, sed quam Catholica ipsa Ecclesia tum per orbem dispersa, tum vero in oecumenicis Conciliis congregata veram potestatis distinctionem admittit, aliam nempe Ordinis, aliam vero iurisdictionis. Ex ea enim distinctione intelligimus, ex vi sacrae ordinationis cuilibet inesse Episcopo fundamentum totius Ecclesiasticae potestatis, seu ut clarius loquamur, capacitatem habilitatemque ad omnem exercendam in Ecclesia iurisdictionem; at non omnibus inesse actualem, quam valide exercere possint pro libito auctoritatem; nisi iisdem ab eo communicetur, qui eamdem iure exerceat. Ita CHRISTUS Dominus infinitae sapientiae suae

suae munere constituto uno totius Ecclesiae capite, universali iurisdictione praedito, consuluit communi Ecclesiasticae Reipub. bono adeo, ut mala averteret, quae ex singulorum Episcoporum diverso regimine oriri potuissent, quaeque eiusdem regiminis in Ecclesia universa unitatem perturbassent, curavitque simul, ut in singulis Episcopis esset ea facultas, qua in extraordinariis etiam circumstantiis legitime possent suarum ovium singulari bono prospicere. Quamobrem ex eo, quod in Episcopis singulis agnoscenda sit illa capacitas ad exercendam omnem Ecclesiasticam iurisdictionem, minime inferri potest, actualem quoque in singulis esse eamdem auctoritatem. Secus enim falsa omnino censenda foret CYPRIANI, HIERONYMI, OPTATI Milevitani, sententia ex communi Ecclesiae sensu prolata, quod nempe Primatus ROM. PONTIFICI datus a CHRISTO est, ut auferretur ab Ecclesia ipsa Schismatum occasio, ne tot essent schismata, quot Sacerdotes, seu Episcopi Ecclesiam moderantes,

V

Hucusque dicta vim aquirunt maiorem ex argumento, quod Theologi illi afferunt ad opinionis suae confirmationem. Episcopatus, inquiunt, unus est in omnibus Episcopis, ergo eorum quilibet omnia obtinet in sua Dioecesi iura, quae ad eamdem regendam sunt necessaria; proindeque habent etiam ius dispensandi subditos ab impedimentis matrimonium dirimentibus. Ast qui haec obiiciunt, nec intelligunt sane eam vim, quae in proposito argumenti principio inest, nec falsas praenoscunt consequutiones, quae ex eodem facile et necessario nascuntur, si intelligendum foret ea ratione, qua ipsi illud intelligunt. Episcopatus itaque unus in Ecclesia CHRISTI est, quia ipsa Ecclesia una est, ac propterea

una

una est ipsius Ecclesiae doctrina, ut uno verbo omnia dicam, quae in hanc rem dici possent. Verum tum universalis Ecclesiae, tum etiam Gallicanae doctrina est, diversam plane esse, nimirum minorem auctoritatem Episcoporum relate ad illam Metropolitarum, hanc pariter minorem auctoritate Primatum, ac Patriarcharum, omnium vero maximam esse illam ROM. PONTIFICIS, qui CHRISTI Ecclesiae institutoris vices gerit, atque PETRI Apostolorum Principis successor est; ergo ex unitate Episcopatus ea minime oritur consequutio, quam vellent Theologi, quos confutamus; quinimo potius ex eadem nascitur contradictoria illatio. Unitas nempe Episcopatus unitatem flagitat Ecclesiastici regiminis; ast huiusce regiminis unitas minime postulat, ut Episcopi omnes peculiarium Ecclesiarum ministri obtineant in eisdem omnem prorsus auctoritatem, quae earumdem procurationi necessaria esse possit; flagitat potius, ut omnes habeant unitatem doctrinae fidei, morum, ac disciplinae universalis, quam unitatem, saltem experientia teste amplissima, servare non possunt, nisi unus maxima omnium auctoritate in ipsa Ecclesia praeditus eidem servandae magnopere studeat. Civilia imperia exemplo esse possunt, quo Theologi illi se in errore versari intelligant. In ipsis enim aliqua regiminis unitas est, quamvis peculiarium urbium, aut provinciarum magistratus aut quandoque, aut saepe extraordinaria indigeant supremi Principis auctoritate. Hoc itaque subiectionis genus, ut ita loquar, minime sane destruit in singularibus Ecclesiis universalis regiminis unitatem; quinimo ex antea dictis unitas Episcopatus facilius parit ideam unius supremi Pastoris, qui universali quadam fungatur in Ecclesias omnes iurisdictione.

VI.

Atque hoc quidem se agnovisse vel inviti fatentur ii Theologi, dum in declarando proposito argumento versati sunt. Concedunt siquidem, Episcopis Metropolitis inesse ius inspectionis, seu ut illi appellant, recognitionis in suae Metropolis Episcopos. Hoc vero quod mitiori quodam ac perpolito vocabulo appellant *ius recognitionis*, si ipsos attente audiamus, nil aliud sane est, quam iurisdictionis potestas. Illi se ipsos exhibent huius rei interpretes optimos, dum eiusdem *recognitionis* effectum in eo collocant, ut quisque Episcopi singularis subditus possit apud Metropolitam conqueri, quod ordinarius eius Pastor aut recusaverit suam exercere auctoritatem, aut quod eadem fuerit abusus. Si quisque hac postrema de caussa legitime ad Metropolitam appellat; ergo Metropolita ius habet exercendae illius auctoritatis, qua male usus est ordinarius Episcopus; ac propterea perpolitum vocabulum *recognitionis* revera ex eorumdem Theologorum sententia veram significat, legitimamque iurisdictionem. Hac nova prorsus methodo subtiliora recentiorum ingenia elegantioribus hisce vocabulis illudere incautis tentant; aut potius, si vera loqui velimus, aperte demonstrant, se desertae alicuius causae patrocinium suscepisse, quam quum nequeant rationibus, vocibus saltem commendare student. Itaque si Metropolitae ex Ecclesiastica vetustissimaque disciplina iurisdictionem in suos exercent Episcopos; Primates quoque ac Patriarchae Metropolitanis ex eadem Ecclesiae disciplina iurisdictione praestant; ac denique summus ROMANUS PONTIFEX, ut PETRI successor, ceteris omnibus multo maiori praefulget auctoritate. Quare, qui existimant ordinarios Episcopos pati aliquando posse Metropolitae auctoritatem,

tem, quin ullum inferatur Episcopatus unitati detrimentum, censeant quoque necesse est, quoslibet Episcopos ita subiici supremi Pastoris iurisdictioni, ut indivisa semper remaneat, atque penitus intacta eadem Ecclesiastici Episcopatus unitas.

VII.

Ast modo vocabulis, modo ratiunculis suam tueri causam magnopere nituntur recentiores Theologi. Vim nempe maximam persentiscunt superioris argumenti; ac proinde exceptionem saltem admittendam in eo esse nobis suadere vellent, ne victos prorsus se esse suo cum dedecore fateantur. Inquiunt igitur, *id quod in Ecclesiasticam disciplinam invectum necessario est ad evitanda mala, quae ex irrationabili Episcopalis auctoritatis usu orta identidem sunt*, *illud inquiunt non posse detrimentum aliquod afferre essentiali Episcoporum auctoritati*, *si in se ipsa consideretur*. Verum praeoccupata superius iam est huic difficultati apta responsio. Namque necessitas illa, qua impellente inducta in Ecclesiam est ea disciplina, quae aliquando ordinarios Episcopos maioribus subiicit Praelatis, quaeque efficit, ut isti in eos sua fungantur iurisdictione, illa inquam necessitas demonstrat non perturbari, imo retineri Episcopatus unitatem ex diverso iurisdictionum ordine in eumdem finem statuto. Distinguenda igitur est, ut superius fecimus, actualis potestas ab essentiali capacitate eamdem potestatem exercendi. Cuilibet Episcopo essentialem hanc concessimus habilitatem, quae ex sacra eorum ordinatione suam habet originem; at minime actualem concedere eisdem possumus sine limitibus auctoritatem, quae ex potestate iurisdictionis oritur. Itaque si, illis Theologis fatentibus, ordinarii Episcopi cessat iurisdictio, eaque ad aliquem eius superiorem defertur, ut re-

medium adhibeatur iis incommodis, quae ex ordinariae auctoritatis abusu profecta sunt; idque flagitat quammaxime recta atque legitima Ecclesiae disciplina; ergo haec eadem quoque recta ac legitima est, ex eodem necessitatis genere orta, quae praecavere possit ea mala, quae in futura tempora erumpere haud aegre possunt ex ordinariae iurisdictionis abusu. Nimirum experientia praeteritorum temporum est optima futurorum magistra. Nec sapienter instituta dici posset ea Respub., cuius leges praeconsulere non possent iis incommodis, quae experientia duce innotescere omnibus potuere. Itaque sicuti praestantius est pharmacum illud, quod futuris potius quam praeteritis morbis medeatur, ita et in Ecclesiastica Repub. necessarium agnitum est illud regiminis genus, quo fit, ut aliqua iurisdictio inferioribus Praelatis ordinaria et actualis esse non debeat, sed ad supremi omnium Pastoris auctoritatem sit imposterum ab iisdem omnino confugiendum. Si Concilia omnia vel dioecesana, vel nationalia, vel oecumenica velimus consulere, eadem comperiemus abundare iis legibus, quae ad futura praecavenda incommoda constitutae sapientissime sunt. Itaque legitima prorsus est ex hucusque dictis ea Ecclesiae disciplina, quae aliqua iurisdictionis capita superioribus Praelatis, adeoque et supremo universalis Ecclesiae PONTIFICI ad tuendam doctrinae et morum unitatem reservat; ac propterea integrum in his non est inferioribus Praelatis uti auctoritate, cuius generalem habilitatem sacra ordinatio eisdèm tribuit.

VIII.

Videamus nunc, qua ratione Theologi nostri supra allata argumenta ex S. CIPRIANI testimonio firmare studeant. Afferunt ea primum verba, quae habet in Epistola ad S. STEPHANUM P., quae-

que

que huiusmodi sunt: *Habet in Ecclesiae administratione voluntatis suae liberum arbitrium unusquisque Praepositus, rationem actus sui Domino redditurus*. Hoc minime contenti recitant etiam simillimum aliud ex Epistola ad ANTONIANUM, ut faciliorem nobis monstrent responsionem; idest: *Manente concordiae vinculo, et perseverante cathedrae Ecclesiae individuo sacramento, actum suum disponit, et dirigit unusquisque Episcopus, rationem propositi sui Domino redditurus*. Observare hoc loco nobis lubet, CIPRIANUM esse scriptorem illum Ecclesiasticum, in quem tamquam in primum diversorium sese recipiunt ii omnes, qui iter aliquod litterarium adversus Rom. Ecclesiam arripiunt, sed infausto prorsus omine; si namque diversorium illud eisdem accuratius demonstretur, necessario certe intelligunt, ibidem aptum iis non esse commorationis locum, adeoque tandem eosdem poenitet, se inutile omnino licet brevissimum iter aggressos fuisse. Ii videlicet, qui Rom. Apostolicae Sedis iura scriptis invadere tentant, plerumque sane non intellectus errore, sed animi vitio laborant; ac propterea plerumque ii sunt, qui vel studiorum labore perterriti, vel eorumdem fastidio capti, si quod Ecclesiastici scriptoris testimonium in aliquo auctore eiusdem Apostolicae Sedis inimico perlegerint, illud satim mutuum ab eo accipiunt, et instructo aliquo fallacis ratiocinii telo per summam ignorantiam simul et audaciam in eamdem Ecclesiam securi gloriantesque iactitant. Parcendum tamen labori non est, qui satis quandoque magnus suscipiendus est ad afferendam infirmis etiam argumentis responsionem, atque ad optimam causam defendendam; sicuti plerumque contingit in tuendis apud magistratus adversus acerrimos actores iuribus praeclarissimis. Iam vero, ut unde disces-

sit, revertatur nostra oratio, alterum etiam nostri Theologi ex supra recensitis argumentis ex S. CIPRIANO tacite deduxerunt, quum docuere, Episcopatum unum esse in omnibus Episcopis, ac propterea omnem in iisdem esse Ecclesiasticam iurisdictionem; quod ex celeberrimo mutuati sunt eiusdem S. CIPRIANI textu: *Episcopatus unus est, cuius pars in solidum a singulis tenetur*. Cui quidem iam responsum est superius, et cui validior etiam ex iis, quae nunc dicenda sunt, accedet responsio.

I X.

Neque enim solitariis veterum scriptorum textibus, ac veluti in parvam insulam relegatis terreri se sinunt ii, quibus incompertae minime sunt rectae criticae leges. Hae iubent nimirum, ut consulantur clariora de eadem re apud eumdem scriptorem testimonia; praesertim si idem auctor alicubi rem ex instituto, vel latius saltem pertractaverit; nemo est enim, qui ignoret, nudam aliquam sententiam ab orationis contextu veluti raptam plures per se ipsam innuere posse significationes, quum unam dumtaxat apud auctorem ipsum revera obtineat. CIPRIANUS ergo in primis docuit universalem in R. PONTIFICE, CHRISTI Vicario, et PETRI successore iurisdictionem ad servandam Ecclesiae totius unitatem. In libro igitur, quem de unitate Ecclesiae conscripsit, ait: *Quamvis* (CHRISTUS) *Apostolis omnibus partem potestatem tribuat, et dicat*: sicut misit me Pater, et ego mitto vos: si cui remiseritis peccata, remittuntur illi etc., *tamen ut unitatem manifestaret, unam cathedram constituit, et unitatis eiusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit . . . Primatus Petro datur, ut una CHRISTI Ecclesia, et cathedra una monstretur*. Si igitur nolint egregii illi Theologi,

Ec-

Ecclesiae unitatem tantummodo sub PETRO Apostolo viguisse, ex CIPRIANO concedant oportet, quod antea de ROM. PONTIFICE diximus. Itaque sibi turpiter contradiceret CIPRIANUS, si quod hoc in loco uni PETRO esse proprium ac singulare declaravit, idem ceteris Episcopis alibi commune existimasset. Ad retinendam porro in Ecclesia vel fidei vel morum unitatem nemo negaverit, necessariam esse in supremo capite iurisdictionem, qua repugnantes ac rebelles continere in officio valeat, aut omnino contumaces a fidelium societate expellere. Qui vero rationem ducem optimam sequatur, et Ecclesiae ipsius traditionem, et quodcumque Theologorum systema velit consulere, agnoscet profecto, vim Primatus, quo fungitur ROM. PONTIFEX, tum ad fidei dogmata, tum ad morum praeceptiones pertinere. Iam vero S. CIPRIANUS eadem obiecta ab iis Theologis verborum formula utitur etiam in Epistola ad MAGNUM, in qua haec habet: *nemini praescribentes, quominus statuat unusquisque Praepositus, actus sui rationem Domino redditurus; secundum quod B. APOSTOLUS in Epistola sua ad Rom. scribit et dicit:* Unusquisque nostrum pro se rationem dabit. *Non ergo nos invicem iudicemus*. Agebatur videlicet de eo disciplinae genere, quod Pontificiae potesttai non erat reservatum. Iam vero ex hoc testimonio tantum utique potest formula a CIPRIANO adhibita, quantum ratio, qua vir sapiens eam innixam voluit. Quis vero est, qui non videat generalem ita esse Apostoli propositionem, ut non de Episcopis dumtaxat, sed de omnibus omnino hominibus sit intelligenda? Ergo eius vis ad propositas circumstantias referri tantum debet, adeoque non probat id, quod magnopere vellent iidem Theologi.

X.

Quid ergo his adhuc remanet ? Nil sane; iterum enim rem ab ovo repetunt; aiunt enim, Episcopos ex vi divinae eorum institutionis habere potestatem peragendi ea prorsus omnia, quae necessaria sunt spirituali bono illorum, qui eorumdem Episcopali procurationi commissi sunt. Argumentum sane probaret aliquid, nisi probaret nimium. Animarum saluti necessarium quoque est, ut a quibuscumque etiam gravissimis criminibus absolvantur. Exemplum certe videtur, quod illorum Theologorum causae favere magis non possit. At habet ne proinde quilibet Episcopus ex legitima Ecclesiae disciplina auctoritatem hanc absolvendi subditos suos omnino generalem ? Minime gentium. Quis aliquam huiusce potettatis partem summo PONTIFICI Rom. reservavit ? Hanc ne sibi ipsi indoctus vel audax PONTIFEX iniuste usurpare agressus est ? Verumtamen ipsa Tridentina Synodus oecumenica definiit, ut notum omnibus arbitror, pertinere ad R. PONTIFICEM pro ipsius universali in Ecclesiam auctoritate, potestatem illam reservandi sibi criminum gravissimorum absolutionem. Ergo nimis certe probat aegumentum illud; probaret enim Episcopos habere eam potestatem, quam eisdem denegant Tridentini Patres ; probaret quoque, eosdem iniuria prorsus illud definiisse in supremi PONTIFICIS favorem ; probaret Episcopos saltem quamplurimos, qui Concilium ipsum constituebant, aut ignorasse suam ipsam ex divino fonte iurisdictionem, vel id communi consensu alteri donasse, quod non sine maximo suarum ovium detrimento largiri non poterant. Si igitur ex eo principio tam absurdae necessario profluunt consequutiones, intelligant tandem, adsignandos esse eidem principio limites, quos posuit

Ec-

Ecclesiastica disciplina. Itaque Theologi ac Iuris periti doctissimi affirmant, posse Episcopos dispensare subditos suos ab aliquibus coniugiorum impedimentis, in quibusdam determinatis circumstantiis, in quibus urgens revera necessitas non sineret, ut ad ROM. PONTIFICEM confugi posset. Haec sola est consequutio, quae ex eo principio deduci a Theologis potest. Spirituale bonum animarum, quae Episcopis creditae sunt, postulat quandoque a supradictis impedimentis dispensationem; et si circumstantiae id permiserint, invocetur Apostolicae Sedis indulgentia. Reservationes namque institutae sunt ad maius commune animarum bonum, ad impediendam maiorum delictorum facilitatem; ergo si commune bonum singulari est anteponendum, oportet utique, ut singulares personae in quibusdam hypothesibus ad Apostolicae Rom. Sedis auctoritatem confugiant.

PARS

PARS II.

Responsio affertur argumentis, quibus probare magnopere student, deesse ROM. PONTIFICI universalem in Ecclesiæ potestatem dispensandi a dirimentibus connubiorum impedimentis.

I.

EX iis, quae antea disputata a nobis sunt, perspicuum illud est, concedi haud posse singulis Episcopis universalem auctoritatem subditos dispensandi ab impedimentis connubia dirimentibus, nisi demonstretur illegitima prorsus, quam nunc ROM. PONTIFEX obtinet, dispensationum huiusmodi potestas. Atque hoc quidem est, quod contendunt Theologi illi eruditissimi, quos confutare aggressi sumus. Ingenium nunc maxime acuunt, ut apud imperitos assequi id possint, quod vehementer exoptant. Contendunt igitur, ROM. PONTIFICEM, tamquam singularem Episcopum Dioecesanum, nullam habere illius generis auctoritatem in aliorum Episcoporum Dioecesibus; eam non habere neque ex *titulo*, neque ex *possessione*. Non ex *titulo*; quia omnes generatim consentiunt, nullam esse statutam in oecumenicis Conciliis legem, quae Summo PONTIFICI facultatem reservaverit dispensandi a coniugiorum impedimentis. Quod si quae provincialis Synodus post oecumenicam Tridentinam videtur in hanc reservationem propensior, animadvertere satis est, provincialis Concilii definitionem in ea re, quae regulae communis exceptionem efficit, non consequi eam vim, ut alteri Provinciae legem iubere possit. Ergo, inquiunt, ROM. PONTIFEX, nullam huiusmodi

modi habet ex *titulo* in universa Ecclesia auctoritatem. Quod vero ad *possessionem* pertinet, aiunt huius compertam esse originem; quod prima in hoc genere dispensatio in Gallia concessa sit PHILIPPO I. sub finem saeculi xI., in Hispania autem ALPHONSO Regi saeculo xII. Post huiusmodi epochas actus quidem possessorii multiplices fuere quoad Pontificiam auctoritatem, sed querelas etiam excitatas esse aiunt a singularibus Ecclesiis, earumque Episcopis, a Theologicis Facultatibus, atque a celeberrimis doctoribus, nec non etiam a Principibus adversus usurpationem, atque amplificationem, ut ipsi perpolite loquuntur, Pontificiae potestatis. Itaque deest, inquiunt ROM. PONTIFICIBUS pacifica possessio, quae prima est ac praecipua possessionis necessaria conditio, ut legitima oriri ex eadem possit praescriptio; adeoque ROM. PONTIFEX neque ex *titulo*, neque ex *possessione* eam habet, de qua sermo est, universalem in Ecclesia auctoritatem.

II.

Nobis ergo incumbit grave onus disserendi de *titulo*, quo ROM. PONTIFEX eam possideat auctoritatem, atque etiam de ipsius possessionis natura. Non ignoramus sane, *titulum* esse praecipuam, nobilioremque possessionis originem et caussam; sed nobis liceat, quod ab iis Theologis flagitare possumus, primo de ipso possessionis initio, ac de eiusdem possessionis natura perbrevem habera sermonem. Vix enim historica facta indicabimus, quum huiusce dissertationis genus longiorem orationem minime patiatur. In primis vero observandum a nobis est, si vera loqui volumus, compertum certo non esse, quo potissimum tempore incoeperit huius Pontificiae auctoritatis exercitium. Observandum deinde

inde est etiam, quosdam scriptores, distinguere inter ipsas huiusmodi Pontificias dispensationes; secernunt etiam eas, quas ROM. PONTIFICES concesserunt, ut valida evaderent matrimonia, existente aliquo impedimento contracta, has inquam secernunt ab illis, quas contulere, ne obsisterent contrahendis matrimoniis impedimenta. In alium finem opportuna sit haec distinctio, praeter quam in eo sermone, qui instituendus a nobis est. Quamvis enim promptior esse possit caussa, ob quam in prima potius, quam in altra hypothesi concedatur ab impedimentis dispensatio; in utraque tamen potestas eadem omnino esse debet; nisi enim in prima hypothesi concedatur dispensatio, matrimonium cum impedimento dirimente contractum prorsus nullum est, si vero negetur in altera, nullum profecto iniri poterit coniugium. Quamobrem in hypothesi utraque, perpensa ipsius rei natura, eiusdem gradus esse debet ea potestas, quae impedimenta illa dissolvat. Iam vero Theologi, quos habemus adversarios, commemorant, tamquam primum in hac re exemplum, dispensationem illam, quam ROM. PONTIFEX sub finem saeculi xI. concessisse dicitur PHILIPPO I. Galliarum Regi. At multo antiquiora habemus in Ecclesiasticis annalibus exempla huiusmodi; ut S. GREGORII II. saeculo vIII., quinimo et S. GREGORII M. satis clarum vestigium sub finem saeculi vI. Sed de his disputare in animo non est. Fortasse antiquiora etiam extitere exempla. Num enim omnia scripta esse contendent, quae in Ecclesia, Imperiisque contigere? Suspicari vero saltem licet, vetustiore adhuc aetate nullam adfuisse caussam, propter quam aut petenda, aut concedenda foret ab hisce impedimentis dispensatio. Porro Pontificiae in hac re auctoritatis exercitum eius generis esse di-

dignoscitur ab ALOYSIO LITTA, qui certe Rom. Curiae assentator non fuit, ut decem et octo saeculorum intervallo nemo ex Episcopis unquam adversus R. PONTIFICEM illius auctoritatis exercitio utentem insurrexerit, tamquam contra usurpantem sibi Episcoporum iura. At nos ipso LITTA liberaliores esse volumus. Concedimus aliquem Episcopum huic Pontificiae auctoritatis facto saltem repugnasse; sed ex ipsa historia paullo post ostendemus, aut confirmatum esse legitimum eiusdem auctoritatis exercitium, aut saltem ex ea non demonstrari actualem Episcoporum in hac re auctoritatem.

III.

Nam quod aiunt, pacificam non esse eam ROM. PONTIFICIS possessionem, propterea quod Theologicae facultates, aut celebriores Doctores assensum eidem minime praebuerint, hoc inquam inane est, quod pueris iniici potest terriculamentum. Fateor equidem in primis, ignorare me huiusmodi Theologicas facultates. Aliorum autem Doctorum celebritas absoluta fortasse non est, sed relativa. Quicumque tandem et quotquot illi numerentur, eos pertimescendos non esse video; quin etiam quo maior excogitari poterit eorum numerus, quo maior fingi poterit eorumdem celebritas, sententiae nostrae validiora profecto accedent suffragia; ut inferius erit animadvertendum. Iam vero qualescumque ii sint, num ipsis concreditum a CHRISTO DEO est venerandum sacrae Traditionis depositum? Eorum eruditi labores, ipsorumque praeclara ingenia adiumento quidem esse possunt ordinariis Ecclesiae iudicibus, nempe Episcopis atque Pastoribus; at ipsi Theologi constituti a Deo minime fuere ordinarii Traditionis et Catholicae Ecclesiae iudices; nec ab eo unquam potestatem accepere, qua legitime insurgere possint ad-

adversus Ecclesiae mores ab eisdem Episcopis iure approbatos. Elementaria haec sunt Theologiae ac Iuris Ecclesiastici principia, quae nos piget iis, qui se Theologiae magistros venditant, opponere. Ast hisce temporibus Theologi quidam videntur causam suam potius, quam Ecclesiasticam agere, dum exquisitis undique argumentis infirmare student Episcoporum iudicia, auctoritatemque, ut tandem ad ipsos Theologos, tamquam ad solos Ecclesiae iudices sit a Catholicis perfugiendum. Utinam errore potius laboraret, quam veritate haec niteretur animadversio. Praeterea est observandum, quod plures alii certe celebres Theologi, de quibus in fine huius dissertatiunculae fiet mentio, nostram tueantur sententiam, ita ut ex ROM. PONTIFICIS dignitate legitimas agnoscant huiusmodi reservationes.

IV.

Quum igitur Ecclesiasticae disciplinae iudices legitimi dati a SPIRITU S. fuerint Episcopi, ex eorumdem consensu a Theologis inquirenda ea est. Quamobrem si haec prorsus diversa sit ab ea, quam vellent supradicti Theologi numero ac celebritate praestantes; argumento id erit, adeo certam illam esse Ecclesiae disciplinam, ut eamdem perturbare minime potuerit tot tantorumque Doctorum opinio. Atqui ab antiquissimis temporibus constans et universalis in Ecclesia est disciplina, ut generatim loquendo tum a Regibus atque Imperatoribus Graecis et Latinis, tum ab aliis Christianae Religionis sectatoribus, tum etiam ab ipsis Episcopis pro suis subditis impetratae sint a ROMANO PONTIFICE, tamquam supremo Ecclesiae iudice, dispensationes a dirimentibus connubiorum impedimentis. Addit vero ALOYSIUS LITTA, qui ex instituto, et magno animi studio quaestionem hanc pertractavit, nemi-

nem

nem unquam adversus ROM. PONTIFICEM ea auctoritate fungentem excitasse querelas. At nostri illi Theologi, eruditione aut potius inanibus verbis praestantiores, commemorant singularium Ecclesiarum, atque Episcoporum clamores. Verumtamen nullum ab iis vel leviter indicatur aut Ecclesiae aut Episcopi alicuius exemplum. Ergo dici debet res adeo explorata, ut levissima, vel potius nulla fiat a Theologis illarum querelarum mentio? Ergo eodem iure, quo ipsi illud affirmant, imo multo maiore, id nos negare possumus; tum ex LITTAE testimonio, tum ex laboribus, quos frustra in investigandis hisce exemplis, suscipere nos oportuit. Forte ne huiusmodi clamorum exemplum sumere licet ex facto ERCHEMBALDI Archiepiscopi Touronensis? Hic nimirum adstantibus pluribus Episcopis, sacro ritu matrimonium celebravit ROBERTI Regis cum Berta eiusdem consanguinea. Nescio an alia habeant horum temporum monumenta. Verum novimus GREGORIUM V. ROM. PONTIFICEM incestuosas illas nuptias irritasse, et *a sacrosancta communione* suspendisse *Archiepiscopum* cum *suis* illis *Episcopis*, donec ad *Apostolicam sedem* venissent *satisfacturi*. Nemo autem ex his ROM. PONTIFICI unquam restitit. Ergo illud saltem ex hoc consequens est, integrum non fuisse ERCHEMALDO illud matrimonii genus consecrare, quin in eiusdem circumstantiis frustra immoremur. Quare eius de hac re historia minime probat iustas Episcoporum querelas, de usurpata a R. PONTIFICIBUS Episcoporum auctoritate. Eiusdem fere generis erunt alia quaecumque proferri in medium possint exempla. Itaque quum ab antiquis temporibus ad nostram usque aetatem, nulla Ecclesia, nullus Episcopus legitime clamaverit adversus huiusce Pontificiae aucto-

auctoritatis exercitium; hinc sane intelligimus pacificam fuisse eiusdem auctoritatis possessionem.

V.

Nam in huiusmodi, quas illi Theologi obiiciunt querimonias, cur saeculi etiam Principes uno verbo commemorent, non equidem satis video. Ipsi enim Theologi quaestionem se pertractaturi pollicentur in ea hypothesi, in qua supponitur Ecclesiastica tantum, non autem civilis in matrimonium auctoritas; non ergo Principum querelas huc proferre possunt, si sibi constare velint, ac turpissimam effugere sermonis contradictionem. At saepe contingit, ut qui perditam causam tuetur, in huiusmodi errores haud aegre incidat; atque hac ratione tandem ostendat, se a veritatis studio in pertractanda quaestione alienum maxime esse. Verumtamen, ut liberaliter cum ipsis Theologis agamus, aliqua de hisce Principum querelis dicamus. Mirum nempe non est, quod Principes aliqui transactis aetatibus, in hac materia, quae mixti iuris videtur, suam nimis amplificaverint auctoritatem; praesertim quum apud Imperatores Ethnicos amplissima eadem fuerit, sicuti nunc est in Ecclesiastica Hierarchia. Ceterum animadvertant velim, aut omnes, aut fere omnes leges conditas, aut dispensationes concessas a civili potestate, referendas esse tantummodo ad civiles ipsos coniugiorum effectus; sicuti etiam a pluribus Christianis Regibus expresse declaratum est, rogantibus praesertim Ecclesiae ministris. Addere libet, NESTIUM ipsum, qui tantopere pugnavit pro Principum in matrimonia auctoritate, fassum esse, *quod Pontificia curia in connubialem pactionem auctoritatem habeat*; Ille quidem addit, ex *Principum consensu*; sed formula haec, quam admittendam non esse demonstratum est in superiore Dissertatione

PE-

PETRI DEODATI nomine edita, non perturbat pacificam, de qua disserimus, Pontificiam auctoritatem. Adde etiam, quod plures Christiani Principes tam ex Oriente, quam ex Occidente sponte a ROM. PONTIFICIBUS postularunt, obtinueruntque a dirimentibus connubiorum impedimentis dispensationes. Si ergo aliquorum Principum querelas, aliorumque postulationes simul consideres, alterum ab altero destructum agnosces, nisi forensem accerrimum agere volueris. Si adhuc urgeas, responsionis huius initium tibi reponam, ut tandem te victum silentio fatearis. Hac tamen de re iterum in fine huius dissertationis aliqua dicemus.

VI.

Itaque demonstratum satis evidenter a nobis est, pacificam fuisse semper transactis temporibus huius Pontificiae auctoritatis possessionem. Hinc ergo nasci posset, ut ipsi concedunt adversarii nostri, legitima praescriptio. Sed hoc dominii genus ROM. PONTIFICI adscribere vetat recta ratio. Dominium namque illud, quod praescriptione aquiritur, supponit rem legitime possessam ita pertinuisse antea ad alium dominum, ut alter deinde errans suam facere incoeperit, ac bona postmodum fide, ex errore tamen profecta, possessionem sit prosequutus. Deinde vero iidem Theologi videntur primo, in hac quaestione velle se agere ex praescriptionis legitimae conditionibus, deinde vero in ipso sermone eam iniiciunt doctorum opinionem, cui ipsi nullo modo repugnant, qua censent, in hac re legitimae praescriptioni locum esse non posse, quod ubi agitur de ordinaria iurisdictione, ut putant eam esse Episcoporum in dirimentia connubiorum impedimenta, illa ex non usu amitti nunquam possit. Ita scriptores isti id facile asserunt, quod negant; idque inficiantur

tur, quod facile concesserant; atque hac ratione incautos decipiunt, quos in suas partes pertrahere maxime student.

VII

At nobis alia patet non incerta ratio explicandi caussam Pontificiae auctoritatis, de qua nunc disserimus. Nam ex antea demonstratis illud sua veluti sponte sequitur, constantem esse tot saeculorum spatio confirmatam consuetudinem, adeoque etiam Ecclesiae disciplinam, ut necessaria habeatur ROM. PONTIFICIS auctoritas ad concedendas abs dirimentibus connubiorum impedimentis dispensationes. Ecclesia porro aut in Concilio oecumenico congregata, aut per orbem, ut aiunt, dispersa, eadem omnino est, nemine huic propositioni repugnante. Ergo ad auctoritatem aliquam ROM. PONTIFICI asserendam necesse non est in medium afferre decretum aliquod oecumenici Concilii, quum in eamdem obtineatur iam totius Ecclesiae dispersae consensio. Itaque, quum demonstratum sit, id etiam fatente ALOYSIO LITTA, agnovisse Episcopos in ROM. PONTIFICE auctoritatem illam, quin unquam legitime eidem fuerit repugnatum; quid amplius a Catholico viro, disciplinae Ecclesiasticae vim pernoscente, optandum adhuc est? Novimus profecto plura ex impedimentis matrimonium dirimentibus in oecumenicis fuisse Conciliis, et ab ipsis ROM. PONTIFICIBUS definita ac confirmata. Quis ergo in Ecclesia est (quodcumque tandem seligas Catholicorum Theologorum systema) qui in hac re per se ipsa gravissima, ac saepe etiam pluribus difficultatibus implicata, dispensationem concedere possit, nisi ille, qui universam Ecclesiam auctoritate sua repraesentat? Hanc vero non nostram tantummodo, sed celebriorum infra videbis sententiam Theologorum,

non

non Romanae curiae assentantium, sed eorum, qui Episcopalem auctoritatem magnopere suspicientes, cum ROM. PONTIFICE haud liberaliter agere consuescunt. Quapropter Theologorum, quam refellimus opinionem, novitate ipsa, tamquam suo gravi pondere corruere quis non agnoscat?

VIII.

Sed paullo etiam longius sententiae nostrae demonstrationem repetere lubet. Argumentum proponimus, quod cum illorum Theologorum argumentis maxime consentit. Episcopi propria certe erat auctoritas absolvendi a quibusvis criminibus subditos; quum potestatem hanc sine limitibus generatim acceperint, sicut Apostoli ipsi a CHRISTO Domino obtinuerant. Quamvis autem magno priorum decem saeculorum intervallo ROM. PONTIFICES graviora quaedam crimina sibi minime reservaverint, postea tamen haec suae reservarunt auctoritati: atque hoc sane recte ab iis factum fuisse *pro suprema potestate sibi in Ecclesiam universam tradita*, definiere Episcopi ipsi omnes in Tridentina oecumenica Synodo congregati. Cur vero id praestitere ROM. PONTIFICES? Quod scilicet iis temporibus publicae poenitentiae disciplina infirmari coeperit, quae paullatim tandem interiit. Quapropter necesse fuit, ut ad coercendam criminum graviorum licentiam ROM. PONTIFICES reservarent sibi illorum criminum absolutionem, quam gravissimis indictis poenis tantummodo reis concedebant. Ita quoque, quum de criminosis coniugiis non amplius sumeretur publicae poenitentiae vindicta, iure ROM. PONTIFICES haec coercere statuerunt, reservata sibi impedimentorum coniugia dirimentium dispensatione, impositisque gravioribus poenis, quae delictorum gravitati aeque responderent. Quum

ergo ex Concilii Tridentini testimonio gravissimo illud potuerint Apostolicae Sedis Episcopi *pro suprema potestate sibi in Ecclesiam universam tradita*; hinc vel aequali saltem, vel etiam potiori iure, pro suprema eadem potestate potuerunt reservare sibi ipsis ius dispensandi ab iis matrimonii impedimentis. Exemplum ergo habent, quo nullum aliud similius; imo argumentum ex eodem non generico, sed peculiari et immediato principio exortum ita, ut vel neutrum ex his quidquam probet, vel aeque omnino utrumque.

IX.

Aliae praeterea recenseri possunt caussae tam generales, quam particulares, a doctissimis viris enumeratae, ob quas ad Apostolicam Sedem revocatae sunt huiusmodi dispensationes. Non modo enim Episcopi singulares, sed in Conciliis quoque aut Provincialibus, aut etiam oecumenicis congregati, de ipsis legibus a se statutis dispensationes concedendas esse ab Apostolica sede decernebant, quod nempe, ut observat THOMASSINUS, *Eccl. Discipl.* lib. III. cap. XXIII. num. XII. agnoscerent *principatum auctoritatis in omnibus Ecclesiasticis caussis esse penes Apostolicam Sedem; sed in aedificationem datam illi divinitus esse hanc summae potestatis praerogativam ... Haec certissima ratio ad solos tandem PONTIFICES ROM. revocavit gravissimas quascumque spensationes; hinc auctoritas supra alios Episcopos excellentissima, et ab ipso instituta Christo*. Et cap. XXIII. num. II. et III. affirmat, quod in gravissimis quibusque caussis ad ROM. PONTIFICEM confugerent ea suasione ducti, quod constantius Canones ab eo servarentur; quum vero obtinerentur a ROM. PONTIFICE dispensationes, existimarentur tamquam beneficia a Principibus Apostolorum collata.

Qua-

Quare etiam in hunc finem num. VIII. ait, Episcopos retulisse ad R. Sedem dispensationum caussas, ut difficilior esset earum impetratio, sive quod implicatior ac difficilior res esset, de qua agebatur. Huc accedit, quod subsequutis temporibus raro cogerentur Pronvinciales Synodi, quarum erat fere ordinaria dispensationum potestas; tum vero gravia saepe oriebantur incommoda ex dispensationibus, quas concedebant Episcopi, quod non satis diligenter experirentur rationes, quibus innitebantur postulantium preces, aut quod absque accurato examine postulationes repellerent. Adde postulatas quandoque dispensationes, quarum nullum extabat exemplum; ac denique necessitatem dispensandi ab iis canonibus, qui communiter observabantur, vel etiam ab iis, quos oecumenica Concilia condiderant. In his vero continentur etiam caussae, propter quas reservatae sunt ROM. PONTIFICI dispensationes ab impedimentis matrimonia dirimentibus. Has namque dispensationes recensendas esse inter maiora negotia, quae Apostolicae sedi reservari consuevere, per se omnino compertum exploratumque est. Quod nisi probatum velint adversarii nostri ex COELESTINI III. epistola ad Archiepiscopum Senonensem data an. MCLXXXXIII. id tamen perspiciant ex eo, quod iam ab antiquiori aetate in Synodis tantum sive Nationalibus sive Provincialibus concederentur aliquae huius generis dispensationes. Quum ergo hae Synodi pene defecissent, necesse erat profecto, ut ab Apostolica Sede causae huiusmodi iudicarentur, ne iterum laberetur Ecclesiastica disciplina, ad quam servandam translata fuerat singularium Episcoporum potestas ad eadem Concilia. Quin etiam observandum est, quod tum Archiepiscopi, tum Provinciales Synodi quandoque legitimis coniugiis divortia concedebant, quan-

doque vero illegitima permittebant connubia, universalis Ecclesiae disciplinae, et oecumenicorum Conciliorum regulis repugnantia. Ex quo factum est, ut ROM. PONTIFICES, quorum supremae auctoritati, nemine recusante, commissa est universalis Ecclesiae canonum custodia, debuerint Archiepiscoporum, Conciliorumque sanctiones irritare, gravissimis etiam poenis in errantes indictis. Denique et illud adnotandum est, cum CHARDONIO (*Histor. Sacram.* t. vI.) abusum illum inter Christianos iniquissimum paullatim irrepsisse, ut si coniuges essent perturbati invicem et offensi, aut si ab aliquo perturbari et concitari vellent, satis erat iuramenta ac testimonia, quae facile aderant, exhibere de consanguinitatis aut affinitatis impedimento, ut eorum solverentur coniugia. Verum an aliae extiterint caussae, propter quas potuerit debueritque Apostolica Sedes sua fungi universali auctoritate in dirimentia matrimonium impedimenta, noscere in iis, quibus detinemur temporum angustiis, nobis non licet. Hoc tamen certo argumento non est, nullas alias fuisse huiusmodi rationes.

X.

Quemadmodum igitur quoad casuum, ut apellant, reservationem, ex Tridentinorum Patrum testimonio, ROM. PONTIFICES usi sunt suprema Apostolicae Sedis auctoritate; ita ex hoc quisque necessario intelligat, vim Pontificii Primatus eam non esse, ut quae ad eius auctoritatem pertinere possunt, omnia simul veluti appareant usitata ipsius Primatus initio; sed initio quidem contineri hanc in ROM. PONTICICIBUS naturam supremae in Ecclesiam universam iurisdictionis, quae paullatim atque identidem veluti explicetur; quum videlicet, caussae exortae sunt, quae vel ad avertenda a Chri-

stia-

stianis mala maiora, vel ad procuranda Ecclesiasticae societati maiora bona summam postulant flagitantque ROM. PONTIFICIS, qui est CHRISTI Vicarius, et PETRI Apostolorum Principis successor, potestatem auctoritatemque. Num saeculi Principes, ut res exemplo explendescat, omnem quam iure obtinent supremam auctoritatem simul semperque exercent? Nimirum suprema queacumque Principum potestas data ipsis a DEO O. M. est in commune bonum illius, cui praesunt societati. Quae quidem communis boni, ut perpetuum et constans perseveret, ratio postulat, ut mutatis personarum circumstantiis, immutentur leges ipsae vetustiores et aliae iterum condantur, quae communi bono, cui veteres non consulebant amplius, sapientissime provideant, quin mutata vel minimum fuerit, sed tantummodo quasi explicata, atque omnibus proposita excellens et intima Principis auctoritas. Ita porro, quoniam ipsa CHRISTI Ecclesia ex hominibus constat mutationi quammaxime obnoxiis, et quoniam minime tenetur Deus ea perpetrare, quae non operatur miracula, propterea idem prorsus dicendum de Pontificiae potestatis natura. Secus enim, ut evidens per se est, non modo ROM. PONTIFICIS, sed etiam totius Ecclesiae aliqua interiret auctoritas. Si namque ea alicui deesset potestas, quod illam antea minime exercuerit, legitima quoque everteretur auctoritas Ecclesiae, quam ipsa non primo simul, sed dumtaxat diverso temporum fluxu exercendam esse peculiari SPIRITUS S. adiutorio freta existimavit. Non ergo ex occasione tantummodo data est universali Ecclesiae, sicut etiam ROM. PONTIFICI eius supremo capiti auctoritas aliqua, sed exortis novis caussis declarata omnibus est, quae iam intima utrisque inerat suprema potestas. Ex

quo quidem intelligitur *summa, perfecta et intrgra firmitas Ecclesiasticorum canonum in Apostolicae Sedis reservata arbitrio potestatis*; ut fassi sunt Concilii Suessionensis nI. Patres, atque ut Catholici omnes unanimi fatentur suffragio.

X I.

Itaque, quod initio aperte non proposueram me demonstraturum, ne delicatulis quibusdam auribus principio ipso molestus cum veritatis detrimento essem, demonstratum nunc arbitror evidenter, quod plurimi quoque iure putant Doctores clarissimi, supremam ROM. PONTIFICIS auctoritatem dispensandi Fideles abs dirimentibus coniugiorum impedimentis ex ipsius in Ecclesiam universam Primatu tamquam ex sancto augustoque fonte, non aliunde omnino hauriendam esse. Atque hinc etiam facilior est responsio Theologis, contra quos disserimus, obiectantibus nullum esse oecumenici Concilii canonem, quo reservetur ROM. PONTIFICI eadem auctoritas. LITTAE quidem dicenti, nullam esse legem, quae summo PONTIFICI dispensationes huiusmodi reservaverit, responderi optime licet ex INNOCENTIO I. caussas maiores Rom. Sedi reservatas ab Ecclesia esse, atque ex COELESTINO nI. inter has maiores caussas certe etiam recensendas esse dispensationes illas. Ex INNOCENTIO I. et nos possemus responsionem mutuari, si cum facilioribus adversariis esset agendum; satis enim demonstratum nuperrime censemus a doctissimo viro, oecumenicum fuisse Sardicense Concilium, cui innititur INNOCENTIUS I. At ne in alias incidamus quaestiones, sat erit commemorasse Tridentinam Synodum: in ea definitur, iure potuisse ROM. PONTIFICES reservare sibi ipsis quorumdam graviorum criminum absolutionem, pro suprema potestate in universam Ec-

Ecclesiam eis tradita; sed ut ostensum superius est §. VIII. in hac definitione continetur etiam altera, quoad reservationes dispensationum abs dirimentibus connubiorum impedimentis; ergo ex Tridentino Concilio constat, *titulum* quo ROM. PONTIFEX in huiusmodi exercenda potestate nititur, esse ipsam supremam Sedis Apostolicae auctoritatem. Quod deinde etiam ex tacito non solum, verum etiam ex expresso Episcoporum aliquorum consensu, nec non ex celebriorum Doctorum sententia confirmabitur validissime.

XII.

De tacita Ecclesiae consensione iam supra diximus, quam fuisse nunquam intermissam ostendimus §. III. IIII. V. Haec vero tacita consensio eius generis est, ut expressae omnino par sit; ut rem ipsam paullo attendenti tum ex legum axiomatibus, tum ex recta ratione, qua illa sunt innixa, compertum esse potest. Si expressum etiam postulas, commemorabo binas Provinciales Galliarum Synodos, post oecumenicum Tridentinum Concilium coactas, nempe Turonensem, et Tolosanam, in quibus definitum est, Episcopis non inesse facultatem dispensandi a dirimentibus matrimonium impedimentis. Ex quo consequens est, relictam esse in eo statu quo erat, Ecclesiasticam disciplinam; ac propterea universalem in ea impedimenta potestatem ROM. PONTIFICIS intactam fuisse, ex qua aliqui Episcopi delegatum ab eo accepere ius ab aliquibus impedimentis dispensandi. Observandum vero est, illis Galliarum Synodis neminem ex Gallis aliarum Provinciarum Episcopis repugnasse; ac propterea ex illis etiam intelligitur, definitionem duarum huiusmodi Synodorum factam fuisse iuxta communem Gallorum Episcoporum doctrinam. Horum igitur senten-

ten-

tentia est, nihil mutatum in hoc dispensationum genere a Tridentino Concilio fuisse. Quum vero generatim decretum fuerit a Tridentinis Patribus, ut canonum dispensationes concedantur ab iis, ad quos pertinet, nec de dispensationibus a matrimonii impedimentis quidquam fuerit ab iisdem innovatum; intelligimus profecto, relictas ab iis Patribus dispensationes huiusmodi supremae ROM. PONTIFICIS auctoritati, ad quam antea spectabant. Quin etiam ESPENIUS ipse (P. II. sect. I. tit. XIII. cap. I. n. X.) scribit; *Quum tempore Concilii Tridentini dispensandi auctoritas . . . signanter super impedimentis dirimentibus matrimonium esset ad Apostolicam sedem devoluta, sive Sedi Apostolicae reservata, non sine fundamento docet, multisque probat D. DU-CASSE . . . Synodum Tridentinam, regulas in materia dispensationis, ac notanter super impedimentis matrimonii praescriptas, ad ROM. PONTIFICEM praecipue direxisse*. Ex quo illud saltem colligitur, ESPENII Iurisperiti clarissimi, nec Rom. Curiae assentatoris mentem fuisse, quod ex Tridentini Concilii historia probari possit, confirmatam a Patribus illis fuisse ROM. PONTIFICI earum dispensationum auctoritatem; aut tandem, ut minimo contenti simus, non mutatam fuisse ab eodem Concilio disciplinam, quae tunc vigebat, quaeque agnoscebat in ROM. PONTIFICE supremam in universa Ecclesia auctoritatem dispensandi a dirimentibus connubiorum impedimentis.

XIII.

Sed et alii plures ex iis Theologis, qui nominis celebritatem apud omnes consequuti sunt, licet ex eorum systemate essent quammaxime alieni a concedendis liberaliter ROM. SEDI privilegiis, *ipsi* tamen vel expresse vel implicite fassi sunt, ROM. PON-

PONTIFICIS potestatem concedendi dispensationes illas ex eius Primatu in universam Ecclesiam esse repetendam. Ita in primis censuit THOMASSINUS, cuius verba superius §. viiI. recitavimus, NATALIS ALEXANDER (*de Matrimon.* cap. iiI. art. xiI.) scribit: *Circa impedimenta Matrimonii, iure dumtaxat Ecclesiastico constituta, summum PONTIFICEM dispensare posse, certum est, eumque solum* regulariter, *ut loquuntur; quum huiusmodi impedimenta sint vel a Conciliis generalibus, vel a summis PONTIFICIBUS instituta, in quorum decreta potestatem non habent Episcopi, quum eorum auctoritas et iurisdictio sit Conciliorum generalium et ROM. PONTIFICIS auctoritate et iurisdictione inferior, illisque subiecta*. In institutionibus Theologicis iussu IOHAN. CLAUDII de la POYPE de VERTRIEU Pictaviensis Episcopi ad usum sui Seminarii editis legitur (*de Matrimon.* quaest. iiI. Conclus. iiI.): *In impedimentis iure Ecclesiastico matrimonium dirimentibus solus PAPA universim et ordinarie potest dispensare*. ALOYSIUS HABERTUS (*de Matrimon.* cap. x. q. I.) inquit: *Ex communi Ecclesiarum consuetudine, quae vim legis obtinet, solius est summi PONTIFICIS dispensare in impedimentis dirimentibus, iure humano inductis; ubi praesertim agitur de Matrimonio contrahendo. Universalis enim usus recurrendi ad Sedem Apostolicam dispensationis caussa ab impedimentis dirimentibus indicat eam esse Catholicorum mentem, eiusmodi facultatem esse ipsi reservatam*. IUVENIUS (*de Matrimon.* cap. iiI. art. iI.) scribit: *Solum PAPAM ex plenitudine potestatis, et consuetudine multorum saeculorum usu comprobata, dispensare circa impedimenta dirimentia*. TOURNELYUS (*de Matrimon.* q. viI. art. iI.) inquirens q. vI., cuius sit facultas di-

dispensandi ab impedimentis Matrimonii, respondet, *controversiam hanc in Concilio Tridentino agitatam fuisse nec definitam ; nulla enim lege Ecclesiastica generali, seu canone statutum habemus, ad solum Pontificem, exclusis Episcopis, pertinere facultatem dispensandi ab impedimentis matrimonii. Sola consuetudo ac communis Ecclesiae usus hoc ipsi ius asseruit*. Quod ait TOURNELYUS agitatam in Concilio fuisse quaestionem illam, puto id inconsideranter, et minus vere ab eo dictum; neque enim de hac quaestione ullam invenio in Concilii historia mentionem. Quod autem addit, ex communi Ecclesiae usu reservatam ROM. PONTIFICI eam facultatem, hoc saltem implicite demonstrat rationem Primatus. BILLUART (*de Matrimon.* art. VI.) inquit: *Haec potestas dispensandi ab impedimentis dirimentibus iuris humani, residet in summo PONTIFICE, ad quem ut supremum Ecclesiae caput visibile, quaecumque sunt iuris Ecclesiastici, spectant: Episcopi tamen sive ex delegatione expressa vel tacita, sive ex usu approbato dispensant aliquando*. Similia habent GENNETUS HERMINIERIUS, OPSTRAETUS et alii. Demum, ne molestior sim, accipe DROUVENII testimonium, viri nempe, qui non modo Gallicanae Theologiae systema accerrime retinuit, sed aliquid etiam amplius adversus ROM. PONTIFICES dixit, quod Gallis Theologicis minime probatur. Ergo (l. VIII. *de Re sacrament.* cap. III. q. 7.) quaerit, *cui competat auctoritas super impedimentis matrimonii dispensandi*; atque ita reponit: *Si de impedimentis dirimentibus agatur, regulariter loquendo, potestatem hanc soli summo PONTIFICI convenire. Quamquam enim hoc nullibi legatur antiquis canonibus constitutum; usus tamen invaluit, et generali disciplina receptum, ut pro huiusmodi gra-*

gratiis obtinendis solus PONTIFEX MAX. adiri communiter deberet ac posset ; et merito quidem, tum propter debitam Sedi Apostolicae reverentiam, cui potissimum canonum observatio et dispensatio divinitus est commissa ; tum quia quum impedimenta matrimonium dirimentia vel a Conciliis generalibus, vel a summis Pontificibus fuerint instituta, in quorum decreta potestatem non habent Episcopi, consequens fuit, ut solis summis PONTIFICIBUS deberet relaxatio regulariter reservari. Hisce contentos nos esse oportet. Ceteros consulant, qui velint. Ex his autem Doctoribus, atque ex iis omnibus, quae superius dicta a nobis fuere, exploratus tandem esse potest *titulus*, quo ROM. PONTIFICES, hanc funguntur dispensandi auctoritate, nimirum vel eum appelles *ius devolutionis*, *quo nihil sanctius, nihil aequius, nihil firmius est*, teste THOMASSINO, (*Eccles. Discipl. lib.* VIII. not. VIII.) vel consuetudinem, quae vim obtinet legis, vel disciplinam Ecclesiae universalem, quae pariter est lex Ecclesiae sanctissima, vel denique auctoritatem Rom. Primatus in Ecclesiam universam ; habes legitimum, aequissimumque huius Pontificiae auctoritatis *titulum*.

XIV.

Rebus ita perspicue demonstratis, inane esse commentum deprehenditur, quod sub finem aiunt Theologi, adversarii nostri ; nimirum quod ROM. PONTIFICES non tulerint leges de matrimonii impedimentis, videlicet, ut antea explicavit acutissimus, sed non aeque ingenuus LITTA, eas responsiones esse, seu consultationes R. PONTIFICUM, quae in iure canonico leguntur, non autem leges aut decreta. Inane inquam commentum opponitur ; satis est enim legere eorumdem R. PONTIFICUM apud

apud DROUVENIUM ipsum verba; ut intelligat quisque Latinam salutaverit linguam, contineri in eisdem expressas legum decretorumque formulas; quin nos teneamur frustra easdem hoc loco recitare. Sed huius semper generis sunt argumenta, quae contra Apostolicam Rom. Sedem obiectant quidam Theologi, hoc nomine prorsus indigni; qui enim contra veritatem pugnant, vel ingeniosa sophismata, si parum saltem sibi consulunt, vel etiam aperta mendacia, quum coecitate laborent, adversus eiusdem veritatis lucem opponere solent.

X V.

Tandem aiunt, *habere Episcopos nunc eam, quam ab initio potestatem obtinuerant, potissimum vero si ad concedendas dispensationes excitentur a Principe, cui animus est, ut eius subditi leventur ab onere dispensationes petendi extra ipsius ditionem, et ad quem potestas ferendi de hac re leges, ac dispensationes concedendi, magis forte pertinet, quam ad alium quemcumque*. Tria haec prorsus diversa, quae paucis simul obiiciuntur, breviter evolvamus. Ac primo quidem iam evidenter superius ostensum a nobis est, Ecclesiae disciplinam nunc flagitare, ut a Rom. Sedis Primate petantur dispensationes abs dirimentibus matrimonium impedimentis. Quod postremo dubitantes aiunt particula *forte*; laudanda est Theologorum prudentia. Qua autem ratione intelligenda sit dubitans illa propositio, ex defensione canonum Tridentinorum PETRI DIODATI nomine edita intelligi poterit. Demum quod secundo loco proponitur ab iis Theologis, facillime explicari posse video. Quum enim ipsi putent Ecclesiasticam esse auctoritatem dispensandi ab iis impedimentis, quum deinde addant, concedendas ab Episcopis dispensationes, potissimum si a Principe excitentur; iam

iam quisque dignoscit, iis vocabulis indicari Principis suasionem, quae cum recta ratione coniuncta permovere possit Episcopos ad concedendas huiusmodi dispensationes. Sed rationem, quam afferunt iidem Theologi, velim quaeso, ut ipsi experiantur, quam recta sit. Nonne Principes, praeter ea quae subditis necessaria sunt, plura etiam pro sua singulari indulgentia et humanitate permittunt, quae iidem subditi cum gravissimo onere eadem inquirunt in longinquis regionibus? Non ergo ii Theologi illum, quo ipsi laborant, Principibus adscribant ratiocinii abusum. Multo enim rectius isti ratiocinantur, quam eorum inutiles assentatores. Hoc ex eo etiam compertum est, quod ut superius diximus, aut Episcopi aliqui ex delegatione ROM. PONTIFICIS, aut omnes necessitate suadente ab aliquibus impedimentis dispensare quandoque possint, si difficillimus sit ad Apostolicam Sedes accessus. Quum autem propositio iila, quae Principes nominat, sit universalis, exceptionem aliquam, non repugnantibus iis Theologis, pati poterit; qua quidem aequissimi Principes de Ecclesiastica disciplina, quae civili etiam societati utilissima est, magnopere solliciti, permittent ut subditi ipsi, quum necesse fuerit, adire possint R. Sedem, cui ipsa universalis Ecclesia ad commune Christianae societatis bonum dispensationes huiusmodi reservatas esse voluit.

XVI.

Denique observandum a nobis est, veterem esse eorum, qui Ecclesiae, seu Rom. Sedi iniuriam creare tentant, veterem inquam esse calliditatem, ut recta flexaque via in suis argumentis Principum dignitatem velint contra ipsius Ecclesiae disciplinam inserere. Hoc praesenserat ANTONIUS DADINUS ALTESERRA, utriusque Iuris professor, et Tolosanae

sanae Universitatis Decanus, cuius magna erat apud Galliarum Regem auctoritas, quique in opere inscripto, *Ecclesiasticae Iurisdictionis vindiciae*, lib. II. cap. XXI. agens de divin. officiis, ex aliquorum mente hoc sibi obiicit: *Sed quid, an fas erit Episcopis, divinis in officiis Rom. Ecclesiae ritum admittere inconsulto Principes?* Quibus ita sapientissime respondit: *Absit, ut Ecclesia impugnet potestatem Principis, quam perpetuis votis et precibus defendit: absit, ut Episcopi ullatenus detrahant Regiae Maiestati, pro qua tuenda sanguinem et animam despondere parati sunt. At salva Maiestate Principis liceat Ecclesiae dicere, Episcopis, in his quae sunt sui muneris et officii, non esse facile obiiciendum nomen Principis ad invidiam, ne magistratibus detur occasio sacra Pontificum munia conturbandi. Vera est, non iniusta hac de re querela Ecclesiae; S. AMBROSIUS (de Basilicis in Auxentium)* aiebat: *SEMPER NE DE CAESARE SERVULIS DEI INVIDIA COMMOVETUR, ET HOC AD CALUMNIAM SIBI ARCESSIT IMPIETAS, UT IMPERIALE NOMEN OBTENDAT*. Ita ex AMBROSIO arguebat ALTESERRA. Sed recentiores quidam nullum non movent lapidem, ut Ecclesiae, ac praesertim Apostolicae Sedis, a qua doctrinae ac disciplinae unitas sumenda est, supremam auctoritatem imminuant. Hi vero quandoque assentatoris munere fungi apud Christianos Principes vellent; sed improspere; norunt enim sapientissimi Principes, milites illos, qui suum deservere Imperatorem, atque in alterius militiam adscribi se postulant, paratissimos quoque esse ad nova quaecumque castra deserenda. Quapropter multo sane minus fidunt iis, qui illud matri Ecclesiae obsequium, quod magnopere deberent, facillime et non sine aliquo Christianae societatis detrimento de-

denegant. Ita profecto se gerunt Theologi novarum opinionum, et cuiusdam falsae gloriae amatores, qui sententiarum novitatem, Ecclesiasticae pacis perturbatricem, ex disciplinae antiquitate eruere se iactant. At velim animadvertant, (absit invidia verbis) Hereticos etiam quamplures, ut ab aliis observatum est, consuevisse ex veteri Ecclesiae disciplina, sed frustra prorsus, erroris novitatem contegere. Error enim a veritate subsidia semper quaerit, in eamque videtur se recipere velle; sed in cassum. Ea est enim veritatis indoles, ut licet aliquando non sine magno labore inquiri ac defendi possit, attamen splendidissima tandem, et pulcherrima suis amatoribus se praebeat, omnesque dociles animos in sui amorem vehementissime pertrahat. Pauca diximus ad Pontificiae potestatis in hac re defensionem. In hisce tamèn ea continentur, quae non modo propositis, sed et pluribus aliis, quae a nostris obtrectatoribus proponi possent argumenta, paratam promptamque exhibent responsionem.

F I N I S.

527487